PIETAS PONTIFICIA SEV

CONIVRATIONIS SVLPHVreæ contra Iacobum Magnæ Britanniæ Regem, Henricum Principem, omnesq; Regni Ordines flagitiosissimè initæ, & solâ virgulâ Diuinâ fœliciſſimè patefactæ & dissipatæ Nonis Nouembris 1605. Narratio breuis Poetica.

Ab Authore recognita, & varijs mendis, quæ *partim ipsius festinatione & distrahentibus negotijs, partim operarum inscitia & incuria, in primam Editionem irrepserant, repurgata.*

Accessit VENATIO CATHOLICA, siue secunda Historiæ pars, quæ a comprehenhenso Falso, *Proditorum* res gestas, vsq; ad miserrimum exitum succinctè complectitur.

Pro captu Lectoris habent sua fata Libelli.

LONDINI
Excudebat IOH. WINDET.
1609.

Prou. 21. ver. 35.

Nulla est sapientia, nullaq; intelligentia, & nullum consilium ex adverso Iehovæ.

Psal. 121. ver. 4.

Ecce neque dormit, neq; dormitat custos Israelis.

Psal. 9. ver. 17.

Notum se fecit Iehova, judicio quod exercuit, quum suo ipsius facto illaqueatus est improbus. *Higgaion. Selah.*

Nomina Præcipuorum Proditorum, qui publico *iudicio condemnati sunt in Foro iudiciario Westmonasterienſi: vigesimo septimo Ian. Anno M. DC. VI.*

Euerardus Digbeus eques.
Robertus Winterus.
Thomas Winterus.
Guido Faukius.
Ioannes Grantius.
Ambrosius Roockwodius.
Robertus Keyes.
Thomas Bates.

Catsbeius & Perseus in Pugna Holbachsensi perierunt.

AD SERENISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM HENRICVM FREDERICVM WALLIAE PRINCIPEM.

(***)

SAnguine descriptas leges sanxisse Draconem
Fama refert: certè Romanam relligionem
Sanguine fundavit mitratus Presbyter *olim*
Induperatoris: *fundatam sanguine Regum*
Magnatumq́ solet, sartam tectamq́ tueri:
Namq́ throno multos, veluti de ponte, superbus
Deiecit, pedibus movit diademata, & ipsos
(Vt pecudes) pronos calcavit Cerberus *alter.*
Hiccine pastor erit, Christiq́ vicarius? absit.
Filius exitij est; lupus est insignia gestans
Pastoris; magnus dubiò est procul Antichristus.
Historia *ista sequens (cuius pars ipse fuisti)*
Pontificisq́ dolos, & sæuas detegit iras.
Multos sc Marios in Cæsare Sylla vidère
Dixit: at hic multos Catelinas atque Cethegos,
Hic multas clades Parisinas *cernere promptum est.*
Regibus hæc nouisse salus, Babylonis *vt hostes,*
Et meriti vltores fiant. Deus optimus istum
Eximium seruet tibi (princeps inclyte) honorem,

Romulidûm vt celſas turres, atque æmula Regum
Atria marmoreis hinc illinc fulta columnis,
Magnificas fratrum cellas, & clauſtra Sororum,
Deſidiæ & luxus, fædæq; libidinis antra,
Sacro olim bello vertas, & nobile ſcortum
Sanguine Chriſticolûm madefactũ, murice & auro
Veſteq; purpurea fulgens, turbare Cathedra,
Et claro poſſes circunductare triumpho.
Hæc vouiſſe datum eſt nobis: moderator Olympi
Iſta ſequuturo præſtabit ſingula ſeclo.

Vt principis eſt in omni virtute populo præire: ita in religione maximé quæ princeps & caput virtutum.

Tuæ Celſitudini deuotiſsimus.

Fr. H.

A. MELVINVS AD AMICVM suum F. H. Coniurationem nitrosam carmine describentem.

CVrasti pius ante meum, morboq; leuasti,
Corpus Apollineæ Pæonia artis ope:
Nunc animum mulcens numeris & carmine dulci,
Pascis Apollineæ Mæonia artis ope.
Quum paria haud possim, meritas nec soluere grates,
Debebo meritis tempus in omne tuis:
Quin te Phœbigenam Phœbi dignabor honore,
Seu cures medicus, siue Poeta canas.

Idem ad Eundem.

THersiten cecinit diuino carmine Homerus,
Tu quoq; diuino carmine monstra canis:
Quanto at Thersiten vincunt scelere hæc tua monstra,
Tanto & vatem anteis carmine Mæonium:
Amplius hoc illum vincis, nec vinceris vlli,
Quos tollis, ponis carmine perpetuo.

In Coniurationis Sulphureæ Hiſtoriam, ad Lectorem Præfatio.

EA fuit Coniurationis Sulphureæ, in potentiſſimũ regem magnæ Britanniæ Iacobum, totámq; Remp. Britannicam nuperrimè intentatę, & ſolo brachio Diuino diſſipatæ, atrocitas (candide Lector:) vt digniſſima ſit, quæ omnium gentium linguis, omne genus literis celebretur, & poſteritati tranſmittatur. Siue enim Pontificios equi huius Troiani Architectos & Machinatores ſpectemus, ſiue proditionis ipſius horrendæ & inauditæ magnitudinem perpendamus, ſiue deníq; ad Deum Opt. Max. Seruatorem & liberatorem noſtrum, oculos attollamus, multas eáſq; iuſtiſſimas cauſas reperiemus, ad memoriam eius (quantum poſſimus, quantúmq; valeamus) omni æternitati conſecrandam. Pontificij propter inſignem & ſingularem pietatem, apud omnes ferè populos iàm aliquot ſecula, claruerunt. Siue iſtorum libros voluas, ſiue ſermones audias, videbis eos nihil præter pietatem, religionem, ſanctimoniam crepare, & perſonare. Eſſe ſcilicet ipſos anctæ matris Eccleſiæ Catholicę filios primogeniſos, & vnicos: ſanctiſſimi Patris Papæ, Chriſti in terris

terris vicarij, obſequentiſſimos ſubditos: penes ſe eſſe ſancta Dei oracula, ſacras ceremonias, ſanctas martyrum reliquias, ſacros ordines, ſancta fratrum & fratriarum collegia, & cœnobia, ſanctas & Auguſtas templorum Diuino cultui dicatorum moles, antiquitate, ſplendore, anathematum varietate, & elegantia vbiq; percelebres! ſacra & ſacroſancta omnia. Splendida certè & magnifica verba; verum rectè ad hęc quiſpiam. Verba quid audio, facta cum videam? Orationem Iacobi facilè agnoſco, ſed Eſaui manus horridas & piloſas, ſub pietatis veſte, bonos iſtos viros occultare, ſi penitiùs inſpiciantur, & contrectentur, illud eſt, quod arctè teneo, vehementérq; contendo. Antiqui Romani victoriæ ad caſtra ſua ſemel delapſæ, dicuntur alas præcidiſſe, ne vnquam poſtcà auolaret. Romaniſtæ noui religionem olim per Romam iter facientem, videri volunt ita humanitùs excepiſſe, vt eam perpetuò fecerint ſuã: ipſamq; quaſi Chirographo obſtrinxerint, nè à ſe vnquam in alias terras, & Orbis plagas decederet. Verum longè aliter res ſe habet. Nouitij iſti, á proauis (quorum reuerà in primis Eccleſię incunabulis fides illuſtris admodùm fuit) degeneres ità illam malè tractàrunt, & indigniſſimis modis vexârũt, vt iampridèm coacta ſit, collectis ſarcinis, fuga ſibi de ſalute conſulere, aliáſq; ſedes & commorandi Domicilia comparare. Ab eo tempore ciuitas ſancta facta eſt meretrix. Caſtitatem citiùs in lupanari, quàm his diebus in vrbe Roma pietatem inuenias.

Viuere qui ſanctè cupitis diſcedite Romã,
Omnia cum liceant, non licet eſſe piũ.

Sicut

Sicut autem multæ ſunt impudicæ mulieres, quæ licet multotiès ſcortatæ ſint, & lectum nuptiale inquinârint, matronæ tamen honeſtiſſimæ dici & haberi volunt, maritíſq; magis etiam quàm caſtæ fæminę adblandiuntur: ſic Romana Synagoga, licet ſcortationibus & idololatrijs putidiſſimis omnia impleuerit, Chriſtúmq; re & veritate penitùs deſeruerit, pro Eccleſia tamen eáq; Catholica, & vnica Chriſti ſponſa, ſeipſam venditat, eúmq; varijs amoris lenocinijs & blandimentis, ſpecioſis ceremonijs, & pompoſis ritibus delinire conatur. Duæ res ſunt, quibus factio omnis & hæreſis religioſa, ſe cognoſcendã, num à Deo ſit necne, prodit, & exponit: Doctrinæ integritas, factorũ ſinceritas: Ad doctrinam quod attinet, habuit ſemper Papa Romanus, & habebit quamdiù offas illas opimas ſacerdotia ampla, Epiſcopatus, Cardinalatus in ſuos paraſitos conferendos habuerit, patronos, & oratores ſatis eloquentes, qui malam cauſam optimè agent, qui carioſam Papiſmi ſtatuam, concinnè dealbabunt, & deaurabunt efficiéntq; canina ſua facundia, ſicut olim Poeta cecinit,

Candida de nigris & de candentibus atra.

Quis neſcit omnes principes & Dynaſtas, magnam ſemper Sycophantarum & palponum turbam aluiſſe, qui ſi Dominus ipſorũ coruũ albũ pronuntiaret, præſtò eſſent, qui eum non modo albiſſimũ eſſe affirmarent, ſed ſi opus eſſet multis iuramentis confirmarent. Non eſt itaq; mirandum Papam Romanum cum princeps terrenus ſit, imò (ſi ipſius adulatoribus credere velimus) Deus terreſtris, omnibus & imperatoribus longè ſublimior) pugiles

ſuos

ſuos emiſerit, Pighium, Hoſium, Saunderum, Stapletonum, Fuerdentium, Bellarminum, Alanum, Perſonum, innumeros eius farinæ gregarios milites, qui pro ipſius Primatu, & Principatu, & Eccleſiæ Romanæ dignitate ſtrenuè decertarent, & deſudarent. Mercede ſiquidem ducti & conducti ſunt, munifico, & liberali Domino inſeruierunt, qui perfuncta militia ad ſummos ipſos honores, & dignitates euexit, ampliſſimiſq; diuitijs cumulauit. Quis non aureum eloquentiæ flumen pro tot aureis, & annuis reditibus effunderet?

Auri ſacra fames quid non mortalia cogis Pectora?

Ego verò ſophiſtas iſtos, & Romanæ Curiæ rabulas, qui pro offa & cibo, ore nigerrimo, conſcientia callo obducta, quiduis clamitant, Quælibet in quoſuis conuitia dicere ſæuos, quorum (fateor) ſcripta, incautos, & imperitos facilè fallunt, & illaqueant, miſſos faciam. Hos ſiquidem nunquam conuiceris, etiamſi euiceris. Nimiùm altercando veritas amittitur. Veniam ad ſecundum (vt ita loquar) κριτήριον, quod vt miminè fallax, ita cuiuis etiam plebeio & imperito obuium eſt, & familiare. Aurea eſt, omniq; exceptione maior Seruatoris noſtri regula, omnem arborem ex fructibus ſuis, qualis ſit, explorandam ſeſe exhibere. Papiſmus, quales orbi terrarum fructus produxerit, breuiter (ſi placet) videamus. Ego quatuor tantum Romaniſtarum virtutes Cardinales, ſeu totidem fructuum genera proponam, ex quibus, reliqua licet æſtimare: Auaritiam, ſuperbiam, impuritatem, crudelitatem. Auaritiam Romanæ Curiæ inexplebilem, omnes Europæ Nationes, quæ grauiſſimum Anti-

chriſti

christi iugum subierunt, & pertulerunt, expertæ sunt; quâ miserrimè expilatæ, & ad ossa ûsq; denudatæ sunt. Inter reliquas Anglia nostra, cuius vnius vectigalia Romam quotannis exportata, (vt refert doctissimus Lambertus, qui Cantium Libello elegantissimo descripsit) ærarij regij annuos reditus facilè æquabant. Quidam Angliæ Rex, fortè in sermone quodam Angliam, puteum inexhaustum appellauit: Hinc ansam statim arripuit Papa, nouis artibus (innumeras, & mirabiles excogitauit, omnem humani ingenij aciem superantes, & Diabolicam planè astutiam sapientes) ingentes pecuniæ summas extorquendi, & corradendi, ita vt puteum istum penè exhauserit, aridúmq; reliquerit, totámq; Insulam ad extremam ferè egestatem redegerit. Constat certè sacrificulos, & fraterculos pontificios, vbicúnq; pedem posuerint, religionis & deuotionis obtentu, multa mortalium millia, seu Myriades potius nummis emunxisse, patrimonijs & latifundijs exuisse, ita vt mundi, cuius contemptores dici, & haberi volunt, bonam partem occuparint, sibíq; mancipârint, eiúsq; possessores & Domini euaserint. Sic vt hodierno die, summus istorum sacerdos, absq; rubore vllo (quod secundo in loco attingendum à nobis est) voces illas Principis Aeris de regnis terræ vsurpet, Omnia ista mea sunt, & quibuscúnq; volo, illa trado. Neque mirum hoc videri debet, cum se Soli, Imperatorem Lunæ comparet; se accurata, & mathematica proportione & calculo, septuagies septies Imperatoria, & regia potestate ampliorem, & augustiorem venditet: qui potentissimos reges, & Dynastas beneficij &

fauoris

fauoris loco admittit ad beatos pedes oſculandos, Qui Imperatorem mandat ſibi ad frenum præſtolari, Gallorum Regem ad ſtapedem. Quis neſcit Papam Franciſcum Dandalum Venetiarum Ducem, Regem Cretæ & Cypri, proiecisſe ſub menſam ſuam, vt oſſa cum canibus roderet?

Cæleſtinum Papam Imperatori Henrico ſexto, Diadema Romæ non manu, ſed pede impoſuiſſe, & eodem rurſus pede deieciſſe? Alexandrum tertium Papam, abiectiſſimum in modum Frederici Barbaroſſæ Imperatoris ceruices pedibus ſuis conculcaſſe? Quanquam quid de Papa ipſo loquor, cum ipſius ſerui & ſatellites Cardinales & Epiſcopi ſe pro Regum ſocijs & paribus, imò Dominis gerant. Thomas Beckettus Archiepiſcopus Cantuarienſis (vt refert Mathæus Pariſienſis) Henricum ſecundum Angliæ Regem, bis eodem die in Normandia, ſibi in equum aſcendenti ad ferrum penſile miniſtrare paſſus eſt. Hic autem, cum in eundem Regem multa ſeditioſè & perfidè feciſſet, pro tot meritis & talibus auſis in Martyrum Catalogum à Papa relatus eſt.

Romanenſes quàm caſtè ſe gerant (etiam illi qui mundana cõmercia pietatis zelo deuitant, Monachorũ & Monacharũ cellulis & clauſtris, quò liberiùs Deo toti inſeruiant, ſeſe includunt, qui cælibatum & caſtitatẽ profitentur, & iurárunt) notius iam eſt orbi Terrarũ, quàm vt ſubterraneis illis antris & laqueatis ſpecub⁹ occultari poſſit: ſi nefarias iſtorũ libidines, ſcortationes, adulteria, inceſtus, aliáſq; non nominandas turpitudines percenſerem, librum iuſtum implerem, non præfatiunculam ſcriberem.

Multa

Multa esse Romæ, sub oculis ipsius Pontificis, publicarum meretricũ millia omnes sciunt, quę annuatim tributi nomine soluunt beatissimo Patri, ad triginta millia Ducatorum. Neq; istæ vt olim & alibi extra ciuitatem in Surburbijs & obscuris angulis habitant, sed intrà vrbis mœnia in magnificis ædibus, & palatijs, quæ etiam vt queritur Gasper Contarenus (vir dignus meliori tempore & Domino,) cum reliquis delectis Cardinalibus, per forum fronte aperta ambulant, & mulis vehuntur nobilium iuuenum, & Cardinalium corona stipatæ & comitatæ. Mitto Petri Aloisij, Pauli tertij filij in Cosmum Cherium, Episcopum Fanensem facinus horribile & execrandum. Mitto Ioannis Casæ Archiepiscopi Beneuentani spurcissima scripta, quibus non puduit hominem Clericum & Episcopum sanctiq; Papæ apud Venetos legatum, id scelus, cuius nomen non modo inter Christianos, sed etiam Paganos honestiores inauditum, re ipsa abominanda, turpissimis verbis & putidissima facundia commendare. Videamus iam vltimo in loco, quàm se Romanus Papa, qui successor Petri, sacerdotum Princeps celebratur, gerat clementèr, mansuetè, Apostolicè. Christus suos Apostolos, & Discipulos emisit ad prædicandum, baptizandum & docendum omnes gentes: Papa suos emissarios Iesuitas & sacrificulos ablegat, (sicut olim Palestei suos milites) integris turmis, & phalangibus, ad dissipanda, euertenda & excindenda omnia illa regna, vi, ferro, flammis, nefarijs seditionibus & coniurationibus etiam subditorum in Dominos, & Reges suos legitimos, qui Laterani illius Iouis Imperio parere nolunt

Paulum 3. Papam in Catalogo suo habuisse dicitur meretricum publicarum nomina 45000. quæ soluebant tributum singulis mensibus quod ad 30000. aut 40000. ducatos surgit. Concilium delectorum Cardinalium. Sixtus 4. huius Patronus lupanaria vtriusque sexus, in vrbe Roma extruxit egregium papalis sanctitatis monumentum. Lib. Ital. rythmis conscript.

fauoris loco admittit ad beatos pedes oſculandos, Qui Imperatorem mandat ſibi ad frenum præſtolari, Gallorum Regem ad ſtapedem. Quis neſcit Papam Franciſcum Dandalum Venetiarum Ducem, Regem Cretæ & Cypri, proiecisſe ſub menſam ſuam, vt oſſa cum canibus roderet?

Cæleſtinum Papam Imperatori Henrico ſexto, Diadema Romæ non manu, ſed pede impoſuiſſe, & eodem rurſus pede deieciſſe? Alexandrum tertium Papam, abiectiſſimum in modum Frederici Barbaroſſæ Imperatoris ceruices pedibus ſuis conculcaſſe? Quanquam quid de Papa ipſo loquor, cum ipſius ſerui & ſatellites Cardinales & Epiſcopi ſe pro Regum ſocijs & paribus, imò Dominis gerant. Thomas Beckettus Archiepiſcopus Cantuarienſis (vt refert Mathæus Pariſienſis) Henricum ſecundum Angliæ Regem, bis eodem die in Normandia, ſibi in equum aſcendenti ad ferrum penſile miniſtrare paſſus eſt. Hic autem, cum in eundem Regem multa ſeditioſè & perfidè feciſſet, pro tot meritis & talibus auſis in Martyrum Catalogum à Papa relatus eſt.

Romanenſes quàm caſtè ſe gerant (etiam illi qui mundana cõmercia pietatis zelo deuitant, Monachorũ & Monacharũ cellulis & clauſtris, quò liberius Deo toti inſeruiant, ſeſe includunt, qui cælibatum & caſtitatẽ profitentur, & iurárunt) notius iam eſt orbi Terrarũ, quàm vt ſubterraneis illis antris & laqueatis ſpecub' occultari poſſit: ſi nefarias iſtorũ libidines, ſcortationes, adulteria, inceſtus, aliaſq; non nominandas turpitudines percenſerem, librum iuſtum implerem, non præfatiunculam ſcriberem.

Multa

Multa esse Romæ, sub oculis ipsius Pontificis, publicarum meretricũ millia omnes sciunt, quę annuatim tributi nomine soluunt beatissimo Patri, ad triginta millia Ducatorum. Neq; istæ vt olim & alibi extra ciuitatem in Surburbijs & obscuris angulis habitant, sed intrà vrbis mœnia in magnificis ædibus, & palatijs, quæ etiam vt queritur Gasper Contarenus (vir dignus meliori tempore & Domino,) cum reliquis delectis Cardinalibus, per forum fronte aperta ambulant, & mulis vehuntur nobilium iuuenum, & Cardinalium corona stipatæ & comitatæ. Mitto Petri Aloisij, Pauli tertij filij in Cosmum Cherium, Episcopum Fanensem facinus horribile & execrandum. Mitto Ioannis Casæ Archiepiscopi Beneuentani spurcissima scripta, quibus non puduit hominem Clericum & Episcopum sanctiq; Papæ apud Venetos legatum, id scelus, cuius nomen non modo inter Christianos, sed etiam Paganos honestiores inauditum, re ipsa abominanda, turpissimis verbis & putidissima facundia commendare. Videamus iam vltimo in loco, quàm se Romanus Papa, qui successor Petri, sacerdotum Princeps celebratur, gerat clementèr, mansuetè, Apostolicè. Christus suos Apostolos, & Discipulos emisit ad prædicandum, baptizandum & docendum omnes gentes: Papa suos emissarios Iesuitas & sacrificulos ablegat, (sicut olim Palestei suos milites) integris turmis, & phalangibus, ad dissipanda, euertenda & excindenda omnia illa regna, vi, ferro, flammis, nefarijs seditionibus & coniurationibus etiam subditorum in Dominos, & Reges suos legitimos, qui Laterani illius Iouis Imperio parere nolunt

Paulum 3. Papam in Catalogo suo habuisse dicitur meretricum publicarum nomina 45000. quæ soluebant tributum singulis mensibus quod ad 30000. aut 40000. ducatos surgit. Concilium delectorum Cardinalium. Sixtus 4. huius Patronus lupanaria vtriusque sexus, in vrbe Roma extruxit egregium papalis sanctitatis monumentum. Lib. Ital. rythmis conscript.

lunt. Quot ſancti iſti patres (Ieſuitas & ſeculares intelligo) in omnibus ferè nationibus doctiſſimos & pijſſimos viros, tantùmquòd verâ & orthodoxâ fidem abiurare nollent, exquiſitiſſimis tormentis à Turcis, & Paganis mutuatis, dilaniârunt? quot millia fratrũ noſtrorum in Anglia hac noſtra, Gallia, Germania, Hiſpania, Italia, omnes fidei Chriſti articulos amplexantia, & profitentia, ardentibus flammis conſumpſerunt, & ſacrificârunt? Nemo hodiè eſt (ſi Pontificem & Turcam excipias) qui religionem ſuam ferro & flamma tueri, & propagare conatur. Religio ſiquidem perſuadetur, non cogitur. In eo tamen Pontifex Romanus Turcam ſuperat, quod hic Chriſtianis in ſuis ditionibus (modo tributum illi ſoluant) habitare, mercaturam exercere, diuinum cultum celebrare permittit: Ille quos ſolidis rationibus, & ſcripturæ teſtimonijs, in ſuas partes perducere nequit, carceribus, cippo, gladio, igne, fortiſſimis ſcilicet argumentis, edomat & peruincit. Ipſos homines cum ſuis argumentationibus, ne triplici Coronæ ſuæ moleſtiam faceſſant, è medio tollit, & abolet? expedita certè via ad controuerſias omnes dirimendas & finiendas. Verum vt multa alia diriſſimæ feritatis exempla prętermittam, Carnificina illa Pariſienſis, & proditio iſta ſulphurea, veluti Columnæ duæ ex ære erectæ, teterrimam iſtorum crudelitatem, quâ omnis barbaria ſuperata eſt, omni poſteritati proclamabunt. Liceret hìc Corollarij loco addere Ieſuitarum impudentiam meretriciam, atheam, & planè diabolicam, quâ ſacræ Paginæ, Dei ipſius oraculo, veritatis normæ infallibili, ynò ipſiſſimæ veritati vim offerunt, ipſius maieſtatem

Ioannes Angliæ Rex papali ſententia regno abiudicatus & Henricus Lucemburg. veneno in ipſa Euchariſtia à Monacho exhibito, iubente (vt aiunt) Papa ſublati ſunt.

Gregorius 7. Henricum Imp. in templo precantẽ interficere voluit.

maiestatem violant,& vt nasum cereum aut nautæ subligaculum, huc illuc pro libitu & arbitrio suo detorquent. Edidit quidam nuperrimè, & vt audio,cum superiorum Iesuitarum licentia & approbatione,huius farinæ humuncio,* libellum spurcissimum, profitente hoc ipsum ipso titulo, quo cum sacris scripturis, impurè,impiè, & nequitèr ludit,& in ipsas lurco turpissimus, cruce omni & supplicio dignissimus, multas horrendas & non nominandas blasphemias euomuit, & eructauit.Detrahenda est ergo personatis istis hypocritis, pietatis larua, quâ vitia & impuritates tantas concinnè tegere, & imperitæ & incautæ plebeculæ imponere, & quouis circunducere solent; vt detracta pelle ouina, lupina istorum feritas & voracitas,leoninus fastus, hircina lasciuia omnibus innotescant. Videtis coniurationis istius authores & fabricatores, quales & quàm boni viri sint, de re ipsa, & sceleris natura, & conditione pauca mecum (si placet) perpendite. Coniurati concilium inierunt non de Rege tantum tollendo, sed Reginam clarissimam & immeritam, Henricum ingentis spei Principem, Carolum Ducem,infantem innocentissimum,omnem Nobilitatis florem, Senatores regios,Magnates Regni, Ecclesiæ Antistites,Iustitiæ Patres,prudentissimos viros Prouinciarum legatos,Capitolium ipsum Themidis, cum omnibus legum monumentis,& instrumentis,Regnum denique ipsum, vno momento, & oculi iactu, exitio destinârunt ; Imò suos ipsorum socios Catholicos permultos, qui conuentui illi,ex officio adesse tenebantur,parcendos non putarunt, sed communi sorti, & incendio adiudicârunt. Sed

Clemens 8. Imp.Ludouicum Bauariæ veneno sustulit. Pareus proditor à Papa remissus ad reginam Elizabetham è medio tollendam?

Iacobita ille qui Henricũ 3. Galliæ Regem interfecit.

**Puritanus.*

quid in istos Rex deliquit? qui cum perdere istos, & regno suo excindere facilè potuisset, leges tamen contra illos latas saluberrimas silere passus est, & omnibus hactenùs supplicijs de ijs sumendis abstinuit; Qui legum aciem nonnihil obtundere & emollire studiosè moliebatur, qui annuam pecuniæ mulctam, quam soluebant anteà, non erogauit.

Quænam ista sunt hominum monstra & portenta, quos néq; Maiestas regia, sexus fœmineus, ætas tenera & puerilis, concessus prudentissimorum & grauissimorum virorum, ornatissimus senatus habendi locus, amicorum periculum & iactura quicquam mouerunt? Quos néq; pudet quicquam, néq; timent quenquam, néq; legem putant tenere se vllam, diuinam, humanam? Qui regem eúmq; benè de se meritum, quanquam quid regem dico, qui omnem sobolem regiam, proceres omnes & senatores, regnum deníq; nobilissimum simul & semel obruere, & vno quasi rogo contumulare conati sunt. O frontes plusquam ferreas! corda adamantina! O manus audacissimas & sceleratissimas, quæ illud facinus effossis sub Capitolium cuniculis, tentârunt & aggressæ sunt, ad cuius memoriam & recordationē nudam, homines alioquin flagitiosissimi contremescunt. Verum adhuc sceleris istius fastigium, & apicem non attigimus. Quod supereſt & sequitur, omnes omnium impietates in se complectitur. Audite igitur Pontificij, & si quis sit reliquus in vobis, non dico religionis, sed humanitatis sensus, detestamini, aut erubescite saltem facinus inauditum, horrendum, & ab omnibus Christianis hominibus summè execrandum. Coniurati sump-

to

to altaris Sacramento, et ſancti ſeruatoris corpore, hauſto illius ſanguine, mentes ſuas ad ſęuitiam & crudelitatem, manus ad ſanguinẽ regis ſui & magnatum, multorúmq; innocentium hominum effundendum, ſeſe totos ad impiam taciturnitatem, & in ſcelere horrendo conſtantiam obligârunt. O inauditum & omnibus diris exercrandum flagitium, auguſtiſſimo & ſacratiſſimo noui fœderis ſacramento & myſterio perditiſſimos ſicarios nequitèr abuti, ad ſe mutuò in ſceleratiſſima fœderis & coniurationis ſocietate aduerſus vnctum Dei & Eccleſiam conſtringendos! O Sanctos Patres Ieſuitas, dignóſq; qui in ſanctorum album referantur, Garnettum, Gerardum, Grenwellum, qui tam immanem proditionem ſiluerunt, imò qui concilio & precibus præſcriptis iuuerunt, qui deníq; ſacram cœnã coniuratis, ſuis manibus præbuerunt, qui ſanguinem Domini, nefarijs proditoribus, cædem & ſanguinem optimorum & grauiſſimorum ciuium ſitientibus & anhelantibus bibendum exhibuerunt!

Verendum ſanè eſt, ne cum ſeri nepotes hiſtoriam hanc olim perlegerint, me fabulam meram & figmentum concinnaſſe, non rem geſtam narrauiſſe opinentur. Verum ego iſtos miſſos faciam, quorum impietati nulla par oratio inueniri poteſt, & ad Deum optimum maximum vigilem illum, & cuſtodem Iſraelis, me conuertam, cuius vnius & ſolius beneficio, & gratia, ingens hoc periculum & diſcrimen euaſimus. Solent autem mortales ingrati & φιλαύτοι nimis Dei opt. max. gloriã extenuare, & communicare cum multis. Et quidem in Concilijs impiorum hominum & ſeditioſorum diſſipan-

dis, regum virtus, Senatorum prudentia & ſagacitas, ſatellitum et ſtipatorum fides, magiſtratuum inferiorum ſedulitas, & vigilantia multùm poſſunt. Huius vero coniurationis patefaciendæ & euertendæ laus tota, quantacùnq; eſt, (quæ ſanè maxima eſt) Dei vnius benignitati & extenſæ Dextræ aſcribenda eſt. Ea ſiquidem fuit ita excogitata aſtutè, tam cautè & ſubdolè inita, tam callidè occultata ad ipſiſſimum ferè temporis deſignati articulum, tantis Sacramentis, & iuramentis velut chalybeis catenis, deuincta & conſtricta, vt nulla vis aut prudentia humana, eam diſrumpere aut illudere potuiſſet. Solus Deus immanitatem ſceleris execratus, impiorum & perditorum hominum conatus fregit; ſolus caſſes iſtos & tendicula tam aſtutè celata oſtendit, & patefecit; ſolus nos licèt immeritos, & tantà gratia indignos, pro infinita ſua bonitate, imminente, inſtante, & ineuitabili exitio, momento liberauit, & vindicauit. Quis Pontificium illum ignotum ſceleris conſortem occæcauit, ità, vt ad D. Monteglium literas coniurationis obſcuris verbis indices mitteret? Quis D. Monteglij, Pontificijs partibus, eo tempore nonnihil fauentis, animum perculit & flexit, vt cum ſummo Secretario literas illas communicaret? Quis clariſſimi Cecilij mentẽ mouit vt non penitùs reijceret illa indicia, vt lęſi cerebri, & otioſi deliramenta, ſed vt regi indicaret, ipsìq; legendam epiſtolam exhiberet? Quis regis animum illuminauit, vt (tanquam Oedipus alter) ænigmata illa perplexa ſolueret primo aſpectu? Quis ei in mentem indidit, vt de puluere tormentario, de perluſtrandis Capitolij ædibus, & vicinis

locis

locis cogitaret, vt re infecta, redeuntibus miniſtris ſecundò ad accuratiùs, & penitiùs exploranda omnia remitteret? Quis populum omnem ipſóſq; adeò Catholicos, ne ſe coniuratis per varias prouincias vagantibus falſiſſimóſq; rumores vbíq; ſpargentibus, & ad arma vocantibus, adiungerent, cohibuit? Deus vnus & ſolus hæc pro nobis omnia effecit. Qui hoc non videt, cæcus, qui non intelligit, ſtupidus, qui non ingenuè confitetur, & proclamat, bipedum omnium ingratiſſimus eſt.

Magna fuit illa Iudæorum ab Hamanis Agagitæ implacabili odio, & crudeli ad cædem & carnificinam deſignatione, liberatio: ſed quæ cum iſta nullo modo adæquari, aut comparari poteſt. Habuerunt Iudæi ea tempeſtate, in Aula Imperatoria patronos magna authoritate & gratia apud regem, Heſteram reginam contribulē ſuam, & Mordocaium, alióſq; (vt veriſimile) quam plurimos, qui de auerruncando iſto malo ab Hamane intentato, ſeriò cogitarent, & contrà totis viribus niterentur. Machinatio iſta ita fuit Diabolico aſtu offuſcata, & celata, vt nemo mortalis (ſi coniuratos excipias) de tàm horrendo & immani flagitio, nè ſomniaret quidē. Illis ſpatium datum eſt, & deliberandi tempus, quo ſe vel ad defenſionem pararent, aut fuga in alias regiones periculo eriperent. Nobis pij iſti & religioſi Catholici, ne tantillū quidem temporis, nè horulam vnam, ne momentū conceſſerunt, ad Deum inuocandum, & noſmet morti comparandos. O pietatem ſingularem! & dignā, quæ à Chriſtiano orbe aduertatur. Multa animarum innocuarum millia, nil tale cogitantia (nullo conceſſo ad pœnitentiam

ſpatiolo) ſine vlla miſericordia, ſubitõ ad orcum (ſic enim de hæreticis iudicant) quaſi fulmine peſſum dediſſe, aut potius, in aerem ad principẽ aeris, turbine ſulphureo, emiſiſſe, & eiaculaſſe animus fuerat. ô numquam ſatis laudandam & celebrandam diuinam prouidentiã & bonitatem! quæ hominum miſerta eſt, quorum homines fratres & conſanguinei, nulla miſeratione commoti ſunt: quæ attentiùs & cautiùs vigilauit ad ſalutem noſtram, quàm perditiſſimi & vaferrimi ſicarij, ad pernitiem: quæ dolum malum humano ingenio maiorem, ſuo ipſius genio & nutu patefecit, euertit, diſſipauit: Quæ artifices ipſos indices fecit ſceleris, & ſui ipſorum carnifices. Non poſſum certè ſatis laudare grauiſſimum ordinum decretum, quo ſancita eſt annua & publica liberationis noſtræ maximæ recordatio, diuinæ benignitatis cõmemoratio & celebratio. Optarem etiam, vt Columna marmorea, iuxta capitolium extructa & erecta, literis aureis maiuſculis, tum ſceleris immanitatem, tum liberationem noſtram & gratitudinem, ſucceſſuræ poſteritati enuntiaret. Conuenientiſſ. ſanè eſſet hiſtoriam iſtam omnibus linguis deſcriptam extare, vt ſingulæ nationes Ieſuitarum, & pontificiorum deteſtandam hypocriſin, pietatis pallio inuolutam, tandem pernoſcant & diuitent: horrendam ſceleris huius atrocitatem, & immanitatem admirantes execrentur: deníq; Deum opt. max. (cuius erga ſuos in æternum fides, benignitas, miſericordia) nobiſcum vnà omni laude & honore prædicent & celebrent. Me quod attinet, cum multos ſciam ſoluta oratione coniurationem iſtam deſcripſiſſe, ver-

ſibus

sibus eam complexus sum, partim vt Poema istud velut Hymnum gratulatorium Deo optimo maximo pro liberata tam horrendo & ineuitabili excidio dulcissima patria, consecrarẽ, partim vt in Poetice, cuius ab ineunte ætate studio impensé delectatus fui, succisuis horis meipsum exercerem, partim, vt viris eruditis (quorum ætas hæc feracissima) occasionem præberem, limatiùs ista et elegantiùs pertractandi. Ignoscent autem spero, mihi homini Medico in alijs studijs et laboribus exercitato, æqui rerum æstimatores, si Poetæ munus omni ex parte non expleam.

In Magnis & voluisse sat est.

Editio prima Raphelengio distinata, et missa, ipso desertore et transfuga facto in partes pontificias, incidit in sordidum quendã et turpi-lucri-cupidum Typographum, qui eam miserrimè habuit, et veluti pannis obsitam et laceram, ad emendicandam stipem emisit. Ego, vt commodiùs aliquantò et honestiùs vestita, in publicum posthac prodiret, procurauì. Deus faxit vt elucubratiuncula hęc nostra ad suam gloriam, et Ecclesiæ aliquam saltem vtilitatem faciat; et aperiat tandèm hominum insciorum, et non malorum oculos, quo Iesuitarum et sacrificulorum fraudes et imposturas videant tandem et perspiciant, vt relictis Antichristi castris, se ad Militiam Euangelicam et Christi vexillum adiungant.

Ad Franciſcum Heringum

amiciſsimum & Medicum optimum

DE PIETATE PONTIFICIA, ET VENATIONE CATHOLICA.

Qualis Pontificum pietas, venatio qualis,
Ate perbellè pingitur, & graphicè.

Ad eundem.

Pontificum hæc pietas? venatio Catholicorum?
Falleris: impietas hæc eſt, cædeſque cruenta.

ΕΙ'Σ ΤΟ'Ν Α'ΥΤΟ'Ν ΠΕΡΙ' ΤΩ'Ν ΜΗΧΑ-
νορράφων Ὁμηρικῶς.

Μήνιν ἀείδεις τῶν δολομητῶν Ῥωμυλιδάων
Οὐλομένην, ἡ μυρία Ἀγγλοῖν ἄλγε' ἔθηκε,
Πολλὰς δυσσεβέων ψυχὰς δ' ἄϊδι προΐαψεν
Ἠπεροπήων, ἐν πραπίδεσσιν ἀμήχανον ἄτην
Μηδομένων, καὶ τῶν κακὰ παντοίοισι δόλοισι
Ῥαπτόντων, παντῆ τ' ἀπαλήματα δηιοπρόσδηα
Πρασσόντων, τὰς ἀντιθέου τέχνας Βελιδηιου.
Τοὺς πάντας τοῖς οἰωνοῖς ἑλώρια τεῦχε,
Ἀμφὶ πύλαις Λονδιναίης· Θεοῦ [illegible] βουλή.

ΠΕΡΙ'

α'. β'. α'. β'.
Τίς βίβλος; Εὐσεβίη. ἀλλὰ δέ τις; ἔστιν ἡ ἄγρα.
α'. β'. α'. β'.
Ποιητὴς; Ἰητὴρ. οὔνομα δή τις; Ἔριγγος.
α'. β'. α. β'.
Ὧν ἕνεκεν γέγραφε; προδοτῆδ. ποίων; τερατουργῶν.
α'. β'. α'.
Τοῦτο τι; ἀμφοτέρῃσιν ἔμελλον χερσὶ χέειν. τι;
β'. α'.
Τὴν κόνιν αἰθαλόεσσαν. τοὔνεκα τοῦτο δ' ἐπείρων;
β'.
Οὐκ ἔθελον λάον σόον ἔμμεναι, ἀλλ' ἀπολέσθαι.
α'.
Εἶπε δὲ μοι σὺ, καθ' ὧν τάδ' ἀτάσθαλα μηχανόωνται;
β'. α'. β'.
Τὴν κατὰ πάντων. Φεῦ τοῦ ἀπύστου. Αἱρεσιώται.
α'.
Τῆς Ῥώμης, κ' οὐκ Ἄγγλων αἵρεσις ἐστ' ἀλίτημα;
β'. α'.
Πῦρ πῦρ αἱρεσιώταις. αἰὲ δὲ Χρίστος ὁ σωτήρ.

G. H.

Ad Papam.

Quid fremis Herculeo quasi pressus (Papa) furore?
Heringi grauitèr te quia Musa premit?

De venat. Cath.

Venari quid Papa solet? nil veriùs vnquam:
Emittit catulos, quos alit, atque suos.

H. P.

Ad Authorem.

Tu malè gesta, canis benè: sed meliora canendo
Non facis, & quàm sint, deteriora nequis.

Ad

Ad beneuolum Lectorem.

Quales ſint, fuerint quales, qualéſque futuri
Sint, vno diſcas crimine, Catholici.
Heringus meritis veriſqué coloribus ornat
Hoc vnum: verbis omnia diſce tribus.
Technas, uerba, ſcelus, Stygias, blaſphema, rebelle,
Cudunt, fundit, agunt, pectora, lingua, manus.

ΕΙ'Σ ΤΟ'ΥΣ ΠΡΟΔΟ'ΤΑΣ.

Τίκτε μὲν αἷμα πάλαι καὶ ὑμῶν θρησκείαν ἔθρεψε:
Νῦν θὴρ ὀικοδομεῖ, τῶν ἁγίων τε σφάγη.
Τὴν δ' ἀνεῖ θήραν, καὶ τοῦ θηρευτὰς ἀριθμεῖ
Ἐν τοῖς ὀρανίδαις εὐσεβίη ἀθέους.
Ἐς' ὀν εὐσεβίη (προδόται) ποῖα; ποῖα δὲ θήρα;
Αἱ μὲν καθολικῶς; οὐχὲ διαβολικαί;

Ad Momum.

Mome quid infrendes? ſolis minùs iſta placebunt
De grege Catholico, qualis es ipſe, lupis.
Turgidus úſque crepas medius; totuſq́ veneno
Rumpare inuidiæ liuidus vſq́ licet.
Nec bona de rebus malé geſtis carmina poſſunt,
Nec male geſta bono carmine ſcripta mori.

T. H.

Pietas Pontificia.

SVrgens (Muſa) redi ſtudia ad neglecta diuque
Intermiſſa nimis: ſuſpenſaq; poſtibus arma
Arripe: ni facias, poſtes & ſaxa ſonabunt
Barbaricum facinus, quo Phœbus atrocius vnquam
Nil vidit: Pario deſcribi Marmore dignum.
Tu (Pater omnipotens) cuius nos gratia viuos
Seruat adhuc immenſa, tibi da viuere, laudes
Da celebrare tuas, & iuſtis annue cæptis.

MOnſtrũ horrendũ, infame cano, crudele, ſuperbũ,
Quod Dæmon nuper magna ex meretrice nefãdo
Concubitu, denſis tenebris, Erebiq; cauernis
Extremis genuit ſoli cæloq; tremendum:
Purpureumq; ſtatim ſcortum ad Lernæa remiſit
Stagna, vbi clàm peperit, Romano & lacte cibauit.
Fœtus hic, antiqua longè damnoſior Hydra,
Prodigium humani generis, creſcebat in horas.
Mortifero poſtquam mater turgère veneno,
Serpentino aſtu præcellere, & artibus orci

Inſtructum

Instructum omnimodis agnouit, talibus ipsum
Compellat verbis, monitisq; salubribus ornat.
Gens inimica mihi, magnoq; inuisa parenti
(Si qua alia) est Britonum, Petri *quæ plurima regno*
Damna tulit, maiora etiam molitur & optat.
O quantos olim reditus, & opima profusè
Annua Apostolicæ sedis *mittebat in arcas!*
Quàm lautè nostras fecit fumare culinas!
Quarum (quippè licet tibi verum gnate fateri)
Semper erat primus, quicquid prætexímus, ardor.
Quanta aluit fratrum sanctorum examina! quantas,
Quàm augustas moles, cœlumq; minantia templa
Diuiparæ auspicijs construxit virginis, atque
Cælitibus reliquis, quos nos donauimus astris!
Nullus in vrbe locus fuerat, modò diues, amœnus,
Nullus agro, nostri quem non tenuere coloni:
Natio tota meos passim resonabat honores.
Anglia Romanum fiscum *Prouincia diues*
Litibus assiduis auxit magis omnibus vna:
Gallia *non illi par, aut* Germania *lata.*
Regia (quid multis?) vicêre æraria grandes
Prouentus; forsan mira, at verissima narro.
Et tantam me posse putas de faucibus æquo
Ferre animo ereptam Lutheri *dogmate prædam?*
Non patiar: certum est vlcisci; transfuga postquam
Sacrilegus nostras acies & castra reliquit
Catholica, heu quantis turbis, subitisq; procellis,
Concussum est triplici regnum diademate fulgens!

Germa-

Germanos *ſecum & Gallos & pænè* Britannos
Omnes, hic ſancto Petri *de corpore traxit.*
Sum Regina *potens, dixi, nunquamq́ mouebor:*
Tempora me viduam miſeram, me nulla videbunt.
Sed ne te longo nimiùm ſermone fatigem,
Res noſtræ aſſiduè nutantes quærere cogunt
Concilia, atque nouas Plutonis *tradere technas*
Incudi, implicitis ſtratagemata texere griphis.
In te ſpes ſola eſt, patris documenta, meaſq́ue
Tu calles omnes rationes, í pede fauſto
Littora ad Albionis *pulchræ; regnumq́ rebelle*
Per fas, perq́ nefas, ad noſtra reducito ſceptra.
Ille iter aggreditur, maternaq́ iuſſa faceßit
Ocyùs, & toto diuiſos orbe Britannos
Cautus adit, Myſtam ſimulans, (Cacodæmonis *iſte*
Mos vetus, vt lucis fallat veſtitus amictu
Tectiùs) *&* Fawkſi *periuri pectora primò*
Vafra ſubit, cui plena dolis præcordia, promptæ
Ad facinus quodcunq́ manus, cui lingua Sinonis.
Hic alibi Ionſton, Foſterus, Brunius *audit,*
Proteus *in formas facilè verſatilis omnes*
Pro ratione loci; Regio noua ſingula nomen
Mutat, mens eadem remanet, ſtudiumq́ nocendi.
Prenſat vbiq́ homines, cæco meretricis amore
Flagrantes nimiùm multos; tacitiſq́ ſuſurris
Ægypti *optantes patinas, atq́ aurea magnæ*
Pocula Reginæ, *veterem quæ rexerat orbem.*
Excitat his animos, & ſpes attollit in altas,

Fata-

Fataleſq́ dies, & ineluctabile tempus,
Caluini *aſſeclis* Bezæq; *inſtare miniſtris;*
Affore iam tempus memorat, quo mœnia Romæ
Ædificent, hoſtes plectant, priſcumq́ nitorem
Catholicæ reddant fidei: mellita Sinonis
Verba auidè excipiunt, & lætis mentibus abdunt,
Seq́, ſuaſq́ operas, & vota ardentia ſpondent.
Ille ergò inflatus rectis ſucceſsibus aulam
Regalem *inuadit, quam lætus obambulat inter*
Anglorum proceres, generoſorumq́ cateruas;
Magnus vbi dextra quatiebat ſceptra potente,
Vnanimi applauſu, ſolium qui aſcendit auitum,
Iacobus, *cuius lenis clemcntia regni*
Principio ciues ſeſe diffudit ad omnes.
Sic ratus egregius Princeps, ſe poſſe rebelles
Papicolûm mollire animos, & flectere duras
Ceruices: alitèr longè res ceſsit, abuſi
Principis eximij bonitate, attollere criſtas
Cœpêre, indomito paſsim turgeſcere faſtu,
Molirique nouas turbas, & ſpargere voces
In vulgum inuiſas, & quærere apertiùs arma.
Watſonus, *primùm veterator callidus, auſus*
Tranquillos rerum ſtatus turbare: ſequuta eſt,
Neſcio quo demens Lancaſtria *cæca furore:*
Wallia *poſtremò. Vafrum ſed adire Sinonem*
(Quem modò magnificâ ſpatiantem liquimus aulâ)
Præſtat, hic aſtuta vt verſat molimina mente,
Percæo *occurrit, (Regis fuit iſte ſatelles,*

Mancipium

Mancipium Papæ) *commissa negotia pandit:*
Remq́, virumq́ auidè complectitur ille, fidemq́
Ambo promittunt firmam, quam neuter habebat,
Et iunctis iurant scelerata in fœdera dextris.
Vos (rerum domini) diras nutritis Echidnas
In gremijs vestris, aulæ qui admittitis intra
Limina papicolas: latet abditus anguis in herba.
Proditio infamis, damnosa rebellio, cædes
Horrendæ, & Stygiam redolentia pharmaca fraudem
Sunt studia istorum, iam vulgatissima mundo
Toti, & Catholicæ *monumenta perennia* Sectæ.
His scandunt cœlum *meritis, sic itur ad* astra.
Versutus porro mutato nomine, Falsus,
Percæi *famulus vulgò perhibetur, & illâ*
Ignotus specie eructat lethale venenum
Securè, & sceleris trahit ad consortia multos.
His ità transactis, clàm rursus trans mare currit,
Et matrem *reddit certam, gesta ordine pandens.*
Collaudat, suadetq́ bonis successibus instet
Gnauiter, atque amplo dimittit munere lætum,
Instructumq́ nouis mandatis: impiger ille
Accelerat reditum vetereſq́ reuisit amicos,
Austriaciq́ ducis aulam; *qui sitnè sacerdos,*
An bellator, agant partes; sub iudice lis est.
Conuenit hîc profugos Angla *de* gente, *nouarum*
Percupidos rerum, patriæ mala damna precantes,
Monstra hominum, pelago rapido qui turbine moto
Piscari gaudent; currenti calcar acutum

Et

Et ſtimulos addunt, ſua quiuis ſymbola confert,
Inuentiſq́; nouis cumulant, techniſq́;, doliſq́;,
Et ſcelere occultare docent ſcelus. Ille reuerſus
Antiquo famulatur hero, cui ſingula narrat,
Et maturandum facinus; ſe nempè paratum,
Omnigenis locupletem armis, quæ aut Romula tellus
Fraudibus infamis, vel regna Acherontis haberent.
Hinc ſeſe accingunt operi ſocijſq́; vocatis
Conſilium *capiunt, ſenſuſq́; ex ordine dicunt,*
Hic vitam Regis *cultello, aut arte* Braſuti
Tentandam, aſt alius iugulandum cenſet amici
Hoſpitij ſpeciè, quandò laſſata per æſtum
Venatu placidus mulceret corpora ſomnus.
Horreſco referens totus, vox faucibus hæret,
Et coniuratos nullus metus occupat iſtos,
Talia qui faciunt? diuina, humana nefandè
Miſcent, hoſpitij gentes ſacrata per omnes
Barbaricas violant iura intemerata, fidemq́;.
Talia iactantes audit Catsbeius: at ille
Longè, ait, à vera erratis (mihi credite) meta:
Parua hæc ſectari nobis non conuenit: vno
Radicem, & ramos ſimul ictu excindere præſtat.
Si Regem *è medio tollamus, nobilis hæres*
Henricus *regno potietur, ſanguinis acer*
(Credere ſic par eſt) vltor, vindexq́; paterni.
Qui cùm ſit magnæ Princeps virtutis, & altæ
Indolis, in noſtros haud tutum eſt creſcere luctus:
Semina ſic generoſa ſolent exurgere in orſus

Præ-

Prægrandes: primò ſic ceruus parnus, inermis,
Incipit arboreos tandem diffundere ramos,
Corniger aſq; inter ductor præcedere turmas.
Ingentes flammas ſcintillula parua cieuit
Neglecta incautè, vaſtas & perdidit vrbes.
Paruus hic octauum cogit meminiſſe potentem
Henricum, *ſancto lethalia vulnera Papæ*
Qui inflixit primus, funeſtum nomen & omen
Horreſco Henrici: *mihi ſtat ſententia firma,*
Funditùs hæretieam, *inuiſamq; euellere* ſtirpem:
Id qua nunc dextrè fiat ratione docebo.
Eſt antiqua domus, Percei vicina cubili,
Hàc Angli ſatrapæ, conſultoreſq; Britanni,
Concilium *ſummis regni de rebus habendum*
Decernunt; primoque diè pro more receptum eſt
Regem, Reginam, *paruo cum* Principe *adeſſe*
Magna cum pompa, ſtipatorumque caterua,
Palmatiſque togis, gemmis, auroque coruſcos.
Ingens ſit populi concurſus compita complens:
Turbis ſe adglomerant denſis, ſpectantq; triumphum:
Aedibus his facile eſt furioſas ſubdere flammas,
Atque perorantem Regem, Procereſq; *ſilentes,*
Turbine ſulphureo ſublimes tollere in auras.
Hæc vbi dicta, tacet: magnis applauſibus illi
Collaudant facinus: quin Falſus talia fatur.
Pulchrum conſilium! ſic quæ domus intulit altas
Pontifici *plagas, alta ruet ipſa ruina.*
Sic nos Catholicæ cauſæ *memorabimur olim*

Instauratores, sancto & ponemur in albo:
Sic peccata luent, qui iniustas condere leges,
Et maculare manus sancto assueuêre cruore
Mystarum, *nostris opibus, spoliisq; superbi.*
Hinc inuenes quosdam selectos vertere terram
Iuratosq; iubent, alij mandata capessunt,
Consortes moneant, vt tempore designato,
Armati accurrant celeres, quò funditus hostes
Incautos subitò Male-puros *perdere possint,*
Et genus inuisum terris abolere relictum.
Fossores primò Perci *ex conclauibus altas*
Educunt fossas, & subterranea longè
Antra cauant, nudantq; loci fundamina sacri.
Interea Perceus, *cellam magis vsibus aptam,*
Cui suspensa domus, pretio conducit, in illa
Zythum, carbones, & ligna recondere fingens.
Hæc vbi pro votis cesserunt, prospera sperant
Omnia, & extremus Falso *concreditur actus.*
Hic Dæmon (hominis ne posthac nomine digner)
Ambulo nocturnus, fraudis, sceleriscq; magister
Horribilis, pyrij vim magnam pulueris intùs
Clàm portat, pleniscq; cadis, hic ponit & illic,
Dolia bina addit, funestis mercibus implet,
Regis *substernit solio, segmentaq; ferri*
Imposuit, ligniq; strues superaddidit illis:
Consimili obtexit reliqua omnia furcifer arte.
His ita dispositis, furiosâ mente Nouembris
Quintum *auidè expectat scelus ad crudele paratus;*

Quale

Quale nec antiquæ Catilina *nefarius olim*
Romæ *intentauit*, Iudæis *perditus* Haman.
Singula si euoluas veterum monumenta, librosq́,
Barbariam *totam perlustres, non tibi tantum,*
Tam horribile occurret facinus, crudele, nefandum.
Rex, Augusta, *puer* Princeps, stirps regia tota,
Illustres proceres, *& germina* nobilitatis,
Iustitiæ & legum patres, clerus reuerendus,
Flos generosorum, *summus sanctusq́* Senatus,
Anglia *tota vnâ perijsset percita plagâ.*
Haud secùs ac cum quis leporem, quem viderat antro
Securum dormire suo, cum fuste peremit
Rusticus incautum: Gentem, nomenq́ Britannum
Sic Draco *terribilis subitò oppressisset, &* Anglos
Christicolas *omnes vno absorpsisset hiatu.*
Vasta adeò Latio *sunt guttura, & horrida* monstro!
Quis cladem illius poterat narrasse diei?
Quisue triumphantes vrbis patriæq; *ruinas*
Inter, Sacrilegos graphicè depingere? centum
Si mihi linguæ essent, totidemq́ in pectore mentes,
Non possem tantos fando explicuisse dolores.
Da mihi Mœoniden, *& tantos obijce casus,*
Arduum onus fugeret, proprijs & viribus impar.
Namq́ mihi videor flagrantem cernere Troiam
Rursus, & horrisono miscerì cuncta tumultu;
Londinum *imperio florens, opibusq́ superbum,*
Emporium Europæ, flammis furialibus ardens;
Mœnia perrumpi, compleri milite vicos

Armato, irato, dispergi corpora passim
Exanima, & plenos currentes sanguine riuos,
Per plateas, per templa, domos; & tristia vbiq;
Lamenta, audiri & planctus, gemitusq; sonantes:
Errantes pauidas per tecta insignia matres,
Complecti teneros gnatos, atq; oscula falsis
Figentes lachrymis commista; vlulatibus ædes
Fœmineis passim reboantes: omnia sæuo
Vulcano *superante*, aulam *quâ iura popello*
Palmati dictant patres, regumq; *sepulchra*
Priscorum, & multos monumenta *intacta per annos.*
Adde his, quod funus patriæ *celebriq; cadauer*
Londini, regum *sedis, sceptriq́ue* Britanni
(Proh scelus!) haud quisquam posset luxisse superstes,
Principe *sublato*, satrapis, *summoq;* Senatu,
Quippe animus fuerat crimen diuertere in hostes,
Et Puritanos *præconis voce nefanda*
Promulgare reos sceleris, proscribere vbiq;,
Designare neci, flammis, ferroq́ue, per omnes
Circuitus regni. Sunt hæ Cacodæmonis *artes,*
Non hominum indubiè, facinus celare stupendo
Exosum scelere, insontes pro sontibus, heu,
Plectere supplicijs summis, peruertere regna
Integra, & insontum sese satiare cruore.
Dæmones *aut non sunt, aut hæ sunt Dæmonis artes*
Atque opera, humana speciè, formaq́ue vagantis.
Sed Pater omnipotens, *moderator & arbiter* orbis,
Maxima seruorum cui semper cura suorum,

Cuius

Cuius per totum vigilans percurrit vbiq;
Mundum *oculus, terras omnes, maria intima lustrans,*
Abdita & abstrusis penetralia cæca tenebris,
Cui fraus *tecta*, dolus, *scelerata rebellio*, cædes
Insontum exosæ, rectum, iustumq; *probatur*,
Prospiciens quanto Britonum rex, resq; *periclo*
Versentur placida depromit talia voce:
Hinc atque hinc densa solium cingente corona
Aligerûm iuuenum, quèis iussa facessere cordi est.
Cernitis, vt Satanas *Venator callidus, æstu*
Struxerit insidias Stygio, quo funditùs Anglos
Deleat è terris, qui nostrum numen adorant;
Triticeósque Deos, *& marmora muta reponat.*
Hæc si succedant, lethalia vulnera magna
Bestia curabit, Babylon *reparabitur, orbis*
Prostibulum, fraudis, cædis, scelerumque magistra:
Irrita priscorum fiet sententia vatum,
Qui triste exitium Romæ, *certasque ruinas*
Prædixère olim. Diris obsistere cœptis
Certum est, & tantas Anglis *auertere clades.*
Hi quanuis digni sint, qui plectantur, abusi
Eximijs meritis nostris, summoque fauore,
Sacrilegi tamen indigni, qui talia sumant
Supplicia; at præstat rapidas extinguere flammas,
Iam iamq; arsuras. Ad se vocat ocyùs vnum
Aligerûm ex turba fratrum, cui talia mandat.
Protinùs Albionem *celeri contendito cursu,*
Et Regem *in somno moneas, discrimina quanta*

Immineant, quantoſq; ſinu nutriuerit angues;
Qui ſibi, qui regno inſidias ſtruxêre cruentas,
Atq; loco caueat ſibi circumſpectus ab illo,
Quò magnus cecidit Romanus Iulius *olim.*
Mox Dominũ Monteglum adeas, cui cautio miſſa eſt,
Vt ſe concilio *magno ſubducat, amica:*
Quippè homineſq; Deumq; ſimul ſanxiſſe luendas
Ordinibus ſcelerum pœnas, ſubitamq; procellam.
Se rus proripiat confeſtim, euentaq; ſpectet,
Combuſta nullum chartâ ſupereſſe periclum.
Officij hunc moneas, patriæ, patriæq; parentis
Curam habeat, Regem *faciat cognoſcere ſcripta*
Quæ ſibi clam fuerant, ſine nomine, at omine fauſto.
Impiger alatus iuuenis feſtinat ad oras
Brutigenum celebres, & iuſſa fideliter implet:
Heroiq; *ſtatim* Morleo *inſpirat honeſtas*
De patria *curas chara,* Regiſq; *ſalute:*
Principis *& miro colluſtrat acumine mentem,*
Soluere quo obſcuris perplexa ænigmata nodis
Extemplò & facilè poſſit, velut Oedipus alter.

Comes Sarisb.

Morleus Regis *de conſultoribus vnum,*
(Quem norat, veteri nil quicquam cedere Vlyſſi)
Iudicio pollentem acri, ingenioq; ſagaci
Seligit, atq; illi rem totam ex ordine pandit.
Hic ſocijs narrat reliquis; hi deniq; Regi
Solliciti oſtendunt: profertur epiſtola: cuique
Vt ſolet in dubijs, variat ſententia, rebus.
Rex *prudens, tacita peruoluens ſingula mente,*

Sic

Sic tandem. Indicia hæc non ſunt temnenda: latentes
Exiguum primò fumum monſtraſſe caminos
Commemini ingentes; latet abdita ſtramine ſerpens,
Aut ego fallor, ait; rumores quippè recordor
De Romaniſtis *ſparſos, quos irrequietis*
Spiritus exagitat furijs malus, atra minantes
Neſcio quæ: Nunquam nocuit cautela Monarchis
Magna licet, *quorum vitæ inſidiantur acerbi*
Complureſq́ hoſtes: ſurgit noua machina forſan,
Vel Troianus *equus, vel ſeditioſa caterua,*
Vel Iacobita *eſt noſtros armatus in artus.*
Monſtri ali quid (mihi credite) alunt, errata cerebri
Non ſunt hæc leſi; ſapiunt ſed ſcripta nefandum
Flagitium, vt fugiat, ſtudioſè ſuadet amico,
Mox procul, & magnam plagam ſubitamq́ minatur:
Occultum rapidumq́ malum ſignare videtur,
Quod ſubitò incautos volitet (ceu fulmen) in hoſtes.
Puluere nil pyrio rapidum magis aut furioſum,
Dæmonis *inuento forſan meditantur abuti*
Pernitiem in noſtram, cupio cognoſcere quinam
Vicinas habitent ædes, quæ cella, quis arcus
Aulæ ſubiaceat, primo me tempore certum
Rebus de his facite, accurata indagine facta.
Regalis Cuſtos cameræ mox ſingula luſtrat
Sedulus, & Regi, *quæ viderat, illicò narrat;*
Contiguas ædes Percæum habitare, cauernas
Subiectas, multo ligno & carbone refertas.
Orta hinc ſuſpitio maior, quartoq́ Nouembris

Aulicus antiquus fidusq́ remittitur ipso
Noctis in obscuræ medio Kneuettus, *vt acri*
Scrutetur studio quæuis penetralia, & omnes
Excutiat latebras, vestes se quærere raptas
Regales simulans, paucis comitatus amicis.
Primus hic offendit Falsum, Cacodæmona *celle*
Solum, vestitum, atq́ ocreatum ad limina stantem:
Pabulo vt omnigeno nupèr cumulauerat Ætnam
Igniuomam, flammis Patriam *quæ absumeret omnem*
Sulphureis, Stygia velut eructante palude.
Anglia *iam bis sex tantùm non ampliùs horas,*
Vulnere distabas lethali, & funere acerbo.
Hunc iubet actutùm comprêndi, moxq́ subintrans
Cellam, lignorum magnos subuertit aceruos,
Cum subitò attonito facinus sonat ore minister
Horrendum: pyrius (proh!) hic puluis conditur, vnum
Ipse cadum inueni, plures dubiò procul omni
Contecti his latitant lignis, scelus heu scelus ingens
Mox alios, alioq́ trahunt, bis deniq́ binos
Ter denósque cados, & dolia bina recludunt,
Exitiali, atro, infernali puluere plena.
Qui Falsum *penitùs perlustrant, pensile collo*
Idolum abripiunt, & sacco corpus amictum
Interiùs cernunt, dein vestibus abdita promunt
* *Instrumenta, quibus Vulcanum immitteret Aetnæ,*
Iam iamque arsuræ flammas submitteret Aetnæ.
Quêis Britonum *imperium florens per secula multa,*
Et gentem Anglorum *claram delêsset in vno*

Funes ilicet arbaseos os.

Temporis

Temporis articulo, & iactu pernicis ocelli.
Hic crimen per se clarum confessus, & illud
Angere se solum, quòd res infecta fuisset.
Exclamant omnes cœlum, terramq;, nefandum
Prodigium, facinusq; nouum; cui tale nec vnquam
Intima Barbaries *vidit, nec* Turcica *tellus:*
Gallica *cui tristis cedit lanièna, piorum*
Cladibus infamis, præsentis dedecus æui.
Extemplò magnam volitauit fama per vrbem,
Perq; aulam, *longè & latè velociter omnes*
Amplæ peruadit vicos regionis: vbiq;
Ingens lætitia, & sublatæ ad sydera palmæ.
O quàm te memorem (celsi moderator Olympi!)
Qui premis imperio terras, qui fulmina torques,
Fœderis vsq; memor, iustas & tradus ad iras.
Quas tibi depromam laudes? quæ vota rependam?
Tu nos seruâsti ferro flammisq; dicatos,
Deuotosq; neci & miserandis cladibus; vnus
Inuigilas custos sanctus fiduq; Sionis:
Vt velut è sæui raperes nos dentibus vrsi,
Ipsis tu reuocas rediuiuos faucibus orci,
Tu nos seruâsti solus, tua dextera texit
Immeritos, summo tu nos sectaris amore,
Obdura cùm nos in te ceruice rebelles,
Quotidiè innumeris vicijs laxamus habenas,
Cum cultum, nomenq; tuum contemnimus, ipsos
Excipimus sannis vates, *& viuere rectè*

Qui

Ducimus in probris: peccator dicitur ille
Qui nihil offendit: *velut is malè ſanus habetur*
Inſanos inter, qui non inſanit, vt illi.
Infinita tua eſt bonitas, clementia, tales
Tempore qui tali (pater optime maxime) *curas,*
Qui te, *quiq;* tuos *nil curant, qui ſua tantum*
Commoda, & inſtabiles cupidè ſectantur honores.
Molliat hæc tandem bonitas adamantina corda,
Et nos in lacrymas totos diſſoluat, inertes
Excitet, antiquum excutiat validumq; veternum.
Illuſtres oculos cæcos, commiſſa videre
Crimina, concedas (pater optime) *viſa dolere*
Aſſiduis lacrymis, & acerbo plangere fletu.
Vt ſacro-ſancti verbi (*quo nil habet orbis*
Theſauro *maius*) *viuamus luce coruſca*
Digni, nec gentes ſub Chriſti nomine agamus.

Annum præced. ſæuiſſ. peſtis Londinum & totam fere Angliam depopulata inſignem reddidit.

Millia noſtrorum fratrum modò lethifer annus
Abſumpſit, cùm dira lues ſæuiret vbiq;.
Inſidias Stygias nunc ægrè euaſimus: enſem
Iam iamq; hærentem iugulo tua dextra retorſit.
Hæc te peccatis altè clareq; loquuntur
Iratum noſtris, minitari, oſtendere virgam,
Et quaſſare manu miti, deponere rurſus;
Vt mater gnatum caſtigatura tenellum,
Sæpè leuat tremulas palmas, reuocatq; viciſſim.
Quod ſi nec verbis, monitiſq; miniſq; paternis
Proficimus (*quid enim niſi verbera ſæua ſuperſunt?*)

Forſan

Forſan in ardentem patientia læſa furorem
Erumpet, ſtipulæq; inſtar conſumet iniquos,
Quin moniti tutiès diſcamus ſancta vereri
Numina, Euangelij meliores reddere fructus:
Nec Babylona, *pijs hoſtem, ſedem* Antichriſti,
Sentinam ſcelerum, inſano ſectemur amore:
Sed potius veterum per nos oracula vatum
Complementa habeant, da magnum exurere ſcortum,
Cædeq; Sanctorum fundatas vertere turres
Romuleas, palmam *hanc noſtro concedito* Regi.
Cuius vita tibi cum ſit pretioſa, viciſſim
Chara illi tua ſit, pretioſaq; Gloria ſemper.
Lucem Euangelij *magis & magis excitet, hoſtes*
Cognoſcat caueatq; ſuos, plectatq; nocentes,
Subiectis parcat fidis, ſubigatq; ſuperbos,
Iuſtitiam vt riuos faciat decurrere aquarum,
Per tractus omnes regni, per compita & vrbes.
Sic regat ingentes populos, *vt viuus amctur,*
Fragrantem & poſt ſe famam, nomenq; relinquat.
Inſignes regni proceres, *ſummuſq;* Senatus
Perpetuo nomen ſanctum amplexentur honore
Tantis pro meritis, parta patriæq; ſalute;
Egregias leges promulgent ædibus *illis,*
Seruatis pro aris, *&* regni *proſperitate,*
Quels (vt oues) fuerant cædi, flammiſq; notati:
Atque Cananitas *iſtos,* meretricis *alumnos*
Purpureæ, è medio tollant, qui ſentibus ipſos

Acri-

Acribus, & multos ſtimulis pupugère per annos.
Qui patriæ *iugulum plagam ſecuiſſe per vnam,*
Infandum aggreſſi facinus: ſic vota Neronis
Aequâſſent facto: qui ſpirant nil niſi cædes
Inſontum, Regumq; *neces, qui furta, rapinas,*
Turpia adulteria, inceſtus, & crimina quæuis
Pro nihilo reputant; quorum nec mentio debet
Chriſticolas *inter fieri, nec nomina noſci.*
Quiq́ ſtipem è ſcortis fœdam, redituſq́ quotannis
(Nec pudet) accipiunt; cœlos, terraſq́ remiſcent.
Hos diros noſtris colubros latitare medullis,
(Quæ Patriæ *erodunt ventrem) nos monſtra ſinemus*
Talia? naturæ leges qui cordibus ipſis
Cælitùs inſculptas maculant, neruoſq́ refringunt
Humanæ vitæ, faciunt, quæ Turca *prophanus,*
Barbarus aut Indus *nollet, vel perfidus* Afer.
Si facimus, digni in foueam caſſeſq́ ruemus
Edocti totiès fruſtrâ, vel teſtibus ipſis.
Tu iuſtus meritò iudex *perhibeberis olim.*
Præſtigias potius magnæ meretricis, *& ipſam,*
Intento (vt par eſt) ſtudio vitemus in æuum,
Cumq́ illâ poſthâc commercia nulla habeamus.
Tu (pater omnipotens) *qui noſtra es portio, noſter*
Es clypeus (prius vt) ſartos tectoſq́ ſub alis
Protege nos ſempèr, Babylonis *& irrita ſpargas*
Conſilia, vt cœlos contra pugnare nefando
Deſiſtat ſcelere, & ſanctorum ſanguine veſci.

Noſq́

Nosq; tuum numen, tua facta ingentia festis
Carminibus, gratisq; animis celebrabimus usq;:
Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; sonabunt
Omnibus in templis, pagis, vicis, domibusq;
Albionis: *cultusq; tuus florebit in illâ,*
Dum Sol mundi oculus cælestia signa pererrat.

Soli Deo Laus & Gloria
in Secula.

FINIS.

NOBILISSIMO IVVENI, NON minùs ſuis virtutibus, quàm *familiæ ſplendore inſigni, Domino Ioanni Harringtono Salutem.*

lluſtris Inuenis, patrijs virtutibus hæres,
Cuius in aſpectu, Muſa, Chariſq; ſedent.
Qui cùm ſis magno & generoſo ſtemate nat⁹
Exuperas morum Nobilitate Genus.
Incœptum virtutis iter fœliciter vrge,
Euolue & doctos nocte, diéque libros.
Qui quamuis muti ſint, elinguèſque magiſtri,
Oſtendent ſapere, & cultiùs ore loqui,
Et magno efficient (cui ſeruis) Principe dignum,
Qui iam virtutes cæpit amare tuas.
Det Deus, aſſiduè vt creſcat fauour illius, anni
Vt creſcunt. Tibi ſic Gloria, Fama, Decus,

Venatio Catholica.

Sed redeo ad Falsũ, cuius præcordia Dæmon
Artibus infernis sic obdurauerat, alter
Mutius vt primò visus sit Scæuola: crimen
Horrendum, egregiũ facinus proclamat, & ipsum
Catholicæ Zelo fidei pulsum esse, doloris
Nullas omnino causas, luctúsue subesse,
Angi se tantùm quod magnis excidit ausis.
Præstigias quis non validus & toxica magni
Miretur Scorti, Circea plena veneno
Pocula, quo in porcos homines seu dæmonas ipsos
Mutat, & igniculos naturæ extinguit, & aptat
De ferro frontes, duro de marmore corda?
Si Rex illustris quicquam deliquit in istos,
Quid princeps fecit? quid fecit Carolus, alter
Magnæ stirpis honos? quid nobilis ELISABETHA?
Quid reliqui proceres? & quid miserabile vulgus?
Quid proprij tandem peccârunt (dicite) amici?
Quos turbæ miseros nullo discrimine mistos,
Vnà cum hæreticis crudelis flamma vorasset.
Verum pergamus porrò, Falsumq; sinamus
Londinâ inclusum tutò requiescere turri,

Dum paucis fraudem insignem, facinusq; nefandum
Percurram verbis, cuius verissima pars est,
Pars fama, & firma sese ratione tuetur,
Et reliquis factis. Quidam generosus alebat
Vir pius (haud nostris quo notior hostibus alter)
Bucephalum egregium, pretio hunc sibi cõparat vnus
E coniuratis, & Falso destinat, Aetna
Incensa, vt fugiens sese subducere turbâ
Posset, & intrepidè patriam spectare ruentem,
Horribiliq; feros spectâclo pascere ocellos.
Quippe huic pro meritis tantis, pro talibus ausis
Mercedem statuunt Dæmon, sceleriq; magistri
Reddere condignam. Sic mos est scilicet istis.
Carnifices quosdam scelera ad quæcunq; paratos
Hinc atq; hinc syluas inter disponere curant,
Qui Falsum *subitò aggressi prædentur, & ipsum*
Et vita & nummis spolient, Falsiq; *cadauer*
Prostrati gelidum medio sub sole relinquant.
Hoc astu se posse rati conuertere in hostes
Flagitij famam, causamq; capessere, vulgo
Qua Puritanos *inuisos reddere possent,*
Vt tantæ authores tàm immanis proditionis.
Cognito equo, & facta (pro more) indagine cædis
Aulicus hic sceleris tanquam fabricator atrocis
Proclamandus erat, Falso *(ne vera referre*
Et socios sceleris funesti prodere possit)
Sublato: Hinc clamorq; virûm, clangorq; tubarum
Ingens tollendus, qui tristia concitet arma:

Anglo-

Anglo-catholici, trepidi quid ſtatis? ad arma
Confugite, ac tantum facinus ne mittite inultum,
Sed ferro peccata luant, & vindice flamma.
O deploratos mores! ô tempora! primùm
Quid querar! horreſco totus, vox gutture in ipſo
Hæret, & ad monſtra hæc hominum perculſa recedit
Mens mea, & in clauſtro arcano ſe pectoris abdit,
Multiplicem ſubitò tanquam aſpectauerit Hydram,
Plutonìſue canem, Harpyas, vel Gorgonas ipſas:
Si mihi ter centum Deus ora ſonantia linguis,
Stentoris *& vocem daret, & de robore pectus,*
Non tamen infandas poſſem depingere fraudes,
Et Stygias ſeclo has technas aperire futuro
Pro meritis: ſuperant humani hæc crimina vires
Ingenij. Effœta hæc mundi atq; extrema ſenecta eſt,
Qua virtus languet, morti vt vicina, Fideſq;
Et pietas homines terramq; exoſa reliquit,
Improbitas creſcit, cœliſq; inſana minatur:
Omnia in Oceanum veluti ſe flumina condunt:
Sic vitia ætatum priſcarum in tempora noſtra
Confluxêre, Orbiq; nouum inuexêre priori
Diluuium maius, mentes non corpora mergens.
Augiæ hoc ſtabulum nemo mundauerit vnquà
Herculc defuncto; veriſq; coloribus huius
Degeneris generis mores depinxerit, orco
Ni poterit docti manes reuocare Maronis.
Sed iam patrato fingamus crimine Falſum
Pernicem conſcendere equum, rebuſq; ſecundis

Elatum, læto ad ſocios excurrere vultu,
Auri ſpondentem ſibi montes, præmia, honores:
Ecce parant huius latrones ſiſtere curſum,
Talibus affati: Nos, tu quò tendis anhelus,
Nouimus, aſt aliò te certum eſt mittere, ad aulam
Plutonis, *cui gratus eris, quippè illius iſta*
Conſilio ſunt cæpta priùs, benè conuenit ergò
Vt ſit de cuentu quam primùm certior, alter
Sd Stygias nunquam deſcendet gratior oras.
Cerberus ipſe tibi portas reſerabit Auerni
Protinùs appulſu primo, poſito q̃ latratu
Horribili, rectà te ad nigra palatia ducet,
Queis Dis Tartareus damnatis imperat vmbris.
Qui ſolio aſſurgens, tibi lætis obuius vlnis
Occurret, gaudens de ad ventu, téque locabit
A dextris, ſummoſq̃ tibi decernet honores:
Hunc noſtro Stygijs regem qui præſidet vndis
Nomine ſollicites, velit vt tranſmittere ad Anglos
Quas habet infernas furias, ſæuaſq̃ chymæras
Auxilium in noſtrum, nam cæde & ſanguine cuncta
Miſcere, eſt animus nobis, qui proditionem
Diligimus ſummè, falſos ſed amare Sinones
Nemo ſolet: factis tu præmia digna referto.
Hæc vbi dicta, enſem rutilantem condere in artus,
Et miſeram tenues animam dimittere in auras.
O Nemeſis ſcelerum vindex iuſtiſſima, lances
Aequales geſtans manibus, queis crimina penſas,
Nemo diù meritas ſceleratior effugit iras:

Seriùs

Seriùs aut citiùs ſequitur vindicta nocentes.
Diſcite iuſtitiam moniti, neq; temnite cœlos
(Excordes Athei) qui cœlo, vt carcere, Numen
Cluditis immenſum: Non illicò fulmine perdit
Peccantes: velut unda undam, non vltio ſemper
Peccatum ſequitur: ſtulti, an mortalia curæ
Non ſunt ergó Deo? vindex iuſtiſſimus ipſos
Authores ſcelerum inter ſe committit, & vnum
Carnificem facit alterius: vos facta probare
Hæc mirum eſt, diras & non horreſcere pœnas.
Principio hoc facto, reliquos ſi mente licebit
Cernere progreſſus, ô quantum ſanguinis atq;
Horrendæ cædis, quas turbas, quoſq; tumultus,
Quas triſtes rerum facies, quæ tempora dira
Anglia vidiſſet? ſubita quaſi Lerna malorum
Facta, & vicinis ſpectanda tragœdia terris.
Has Galli partes agerent, illaſq; ſuperbi
Hiſpani, atq; alias ſæuus tractaret Hybernus,
Teuto alias, ſpolium cunctis & Scæna fuiſſet
Albion infælix dulciſſima patria: Campos
Fingite fulgentes peregrino milite, ad arma
Currentes ciues, quaſi portas Hannibal alter
Intrâſſet, ſtrepituſq; virûm ſonitumq; tubarum
Miſcentem cælo terras, dein furta, rapinas,
Fœmineos raptus, auulſos vbere paruos
Infantes longis pendère haſtilibus altùm,
Dilectorum ante ora patrum; ventremq; ſepulchrum
Maternum fieri multis, lucemq; negari

Lucis in ingreſſu, primoq́; in limine vitæ.
Quorſum ego vaſtatos agros & diruta narrem
Oppida, ſplendentem crebris latè æthera flammis,
Perculſum Thameſin, vicinaq́; littora ponti,
Mare inter Caletum & Doroborniam. *Et freta, quæ rupes hinc atq́; hinc terminat alba?*
Quid reliquus memorem clades, quas bella, fameſq́;
Et peſtis miſeranda vehunt mortalibus ægris
Graſſantes ſimul & populantes omnia? frondes
Autumni citiùs, vel celſi ſydera Olympi,
Aut pelagi immenſas quiuis numerabit arenas,
Quàm tot tam varias verſu deſcribere poſſit
Ærumnas: luctus parui medijq́; loquuntur,
Ingenteſq́; ſtupent: Inopes nos copia reddit.
O nos fœlices! queis mentibus iſta tueri,
Non oculis haurire datum eſt, patriæq́; ſepulcra
Indoluiſſe: Deus certè hæc miracula fecit.
Ipſe Deus, cuius bonitas immenſa, fideſq́;
Non humana manus, noſtra aut prudentia, tanto
Naufragio eripuit, ſtatuitq́; in littore ſaluos.
Sed iuuat hiſtoriam reliquam pertexere, cunctis
Iuſtitia vt porrò ſæclis Diuina pateſcat.
Conſortes ſceleris ſua cùm conamina virgâ
Diuinâ patefacta vident (velut vrſus opimâ
Faucibus excuſſâ prædâ) diſcurrere primò
Attoniti hùc illùc cæperunt, quærere raptim
Et conſcendere equos celeres, queîs ocyus aurâ
Dun-church *advolitent quò maxima turba ſuorum*
Conuenêre: illis venatum indixerat aruis

Dig-

Digbeius celebrem, qualem Nimrodus Auorum
Tempore: viuaces ceruos, leporesq; fugaces
Et timidus damas, reliquum genus omne ferarum
Et verbo & specie, canibusq;, plagisq; petebant.
Planities magna est, hinc atq; hinc consita dumis,
Arboribus raris, non est locus aptior alter,
Seu cursu committere equos, seu cernere cordi est
Veloces catulos vestigia cæca prementes
Cornigeri cerui, aut acies deducere in hostes
Ordine, & insignes belli explicuisse cohortes.
Digbeius primò magno comitante clientum
Aduenit hûc numero, Tressamus deinde sequutus,
Mox alij, atq; alij, villæ mirante colono
Conuentus causam tanti: mox lecta iuuentus
Illustresq; viri, vicinaq; rura vocantur
Ad ludum illustrem. Cingunt indagine syluas,
Pars arbusta secant ferro, pars retia tendunt
Et laqueos: alij resonantia cornua buccis
Distentis instant, alij collaria demunt
Coniunctis catulis, alacresq; in prælia mittunt
Assueta, intendunt operi dicto ocyùs omnes:
Vnâ Hylasq;, Drapesq; ruunt, leuipesq; Melampus,
Pamphagus, Ichnobates, Lælaps cum Tigride, Lachne,
Et cursu Pterelas celeri, candore niuali
Insignis Leucon, & præstans viribus Alce,
Theridamasq; ferox, & latratu acer Hylactor.
Mox fera, quæ abstrusis syluæ se condidit antris
E densis subitò dumis prorumpit, aperto

Orc canes, magnoq; viri clamore sequuntur.
Fortè inter medios cursus, strepitusq; sonoros
Rusticus (è turba foueam dum transilit vnus
Venantùm) exaudit clangentia vestibus arma
Contecta externis, ventoq; agitante leuatis
Huc, illuc sagulis splendentes aspicit artus:
Miratur, tacitusq; virum, cui proximus, istis
Compellat verbis. Tibi quid (vicine) videtur,
Nescio, at hic nostros celebris conuentus ad agros
Insolitusq; mihi valdè suspectus habetur.
Atq; vtinam ad lepores isti, vulpesq; dolosas
Atq; feras spectent tantùm, maiora sed istis
Agnino vulpes ipsi sub vellere querunt:
Non bellum hoc brutis (mihi crede) indicitur: altâ
Mente malum maius tegitur, nostrumq; cruorem
Non pecudum sitiunt: serua (Deus optime) Regem,
Regalem sobolem, Procereq; negotia regni
Tractantes, laqueis subitò ne corripiantur
Venantûm istorum, præsagit mens mihi grandem
Nescio quem latitare dolum, falsumq; libentèr
Me vatem cupio: nam quorsum tecta supremis
Arma gerunt tunicis, onus haud venantibus aptum:
Adde his quòd veteris sint omnes legis alumni,
Pontificis serui, diuam qui nuper ELIZAM
(Cuius erit Britones inter celeberrima semper
Gloria) bullato percussit fulmine, ciues
Soluit ab imperio: damnandis artibus ipsam
Et vitâ & regni sceptro spoliare volebat.

Satis apposite si Rusticum hæc loqui nemineris.

Hoc

Hoc ille in multos, verùm infœliciter, annos
Tentauit: ſaluam hanc fecit cuſtodia cæli.
Ipſa Deum coluit ſanctè, ſeruauit & ipſam
Omnipotens, proprijs ſacrum caput abdidit alis,
Inuigilanſq; iugis conatum eluſit Auerni.
Perfida ſemper erat gens hæc, fraudiſq;, doliq;
Architecta ſagax, noſtræq; inimica quieti.
Non verbis opus eſt, armis magis, ipſe parabo,
Quæ potero, & turbam ſuſpectam linquere certum eſt.
Dixerat: inq; humerum baculum coniecit, abiuit.
Fortè etiam venandum inter compellat amicus
Winterum, ſceleris ſocium: Dic (Winter) amabò
Conuentus cauſas tanti: quis ventus in oras
Compulit hanc turmam (mihi quæſo ediſſere) noſtras
Catholicam? tacitè Winterus talia in aurem
Rettulit: vt verum fatear tibi, Relligionem
Venamur: priſcis cupimus requieſcere campis,
Palantemq; gregem ad Romanos ducere colles,
Hæreticoſq; lupos noſtris depellere ab aruis.
Quin maiora iſtis paucis retegenda diebus
Molimur, tu dicta imo fac corde recondas,
Si ſapis, & parti te actutùm adiungito noſtræ.
Nox tandem clauſura diem, finire labores
Imperat, inde canunt iuſſos inflata receſſus
Cornua rauciſono & præfracto murmure: curſum
Siſtunt, & retrò properant, homineſq;, caneſq;.
Continuò hoſpitium repetunt, vbi ſedula tecto
Haud ignaua die, tantis curauerat hoſpes

Oppor-

Oportuna viris: fumabant culmina magnæ
Cuncta domus, terſa ſplendent triclinia ſorde,
Propoſitoq́ argento abacus fulgebat & auro,
Menſaq́ ſtat niueo lino contecta decenter,
Digbeyuſq́ togam poſitis ſylueſtribus armis,
Poſtulat, hæc byſſo conſtabat tota nitente,
Aurea talarem decorabat fibula veſtem:
Ambulat vt Satrapes, & ſeſe iactat in illâ,
Conſortes inter culpæ, turbamq́ rebellem;
Dat mandata, legit tabulas, reſponſaq́ redd it.
Nil humile aut paruum ſpirat, regalia tantùm
Tractat ouans animo, ſibi iam diſponere honores
Imperij ſummos, ſocios cumulare videtur
Diuitijs: ſceleris fuerat fiducia tanta.
Appoſitis actutùm epulis diſcumbitur: omnes
Implentur vino generoſo, & carne ferinâ,
Anſere, porcellis, pulliſq́, capone, columbis,
Lautitijs reliquis, quas proxima rura miniſtrant.
Indulgent genio læti, & quamplurima ſiccant
Pocula, dum ſocijs (auidis quos mentibus omni
Expectant horâ fœlicia ab vrbe ferentes
Nuntia) vinoſam ſatagunt optare ſalutem.
Pan calamos inflare leues, & fundere verſus
Rurales gnarus, nec non ſaltator ineptus,
Ridiculum caput, & nugis pleniſſimus adſtat,
Inſulſiſq́ iocis aures, animoſq́ remulcet;
Dentato interdum perſtringit Scommate Puros,
Quos vocitant, riſumq́ ciet, crebroſq́ cachinnos.

Perceus-

Perceus interea & Catsbeius ad ostia præstò
Narrantur : commoti omnes, dapibusq; relictis
Obuiàm eunt, Digbby charos complexus amicos
De rerum euentu rogitat, qui pauca susurrant
Demisso ac tristi vultu : mox cernere posses
Mutatos homines, veluti torpedine tactos ;
Stant muti, attoniti, subitus tremor occupat ossa,
Ora tenet pallor, terramq; tuentur inertes :
Sic prauorum hominum læta in contraria vergunt
Momento, in luctus abeunt, lamentaq; risus.
Mox Perceus ad se rediens, solatur amicos,
Et mulcet socios dictis, & talia fatur.
Macti animo (socij) neq; spes dimittite, primos
Diuorum nullus quòd fortunauerit orsus :
Si sic Pharsalicis Cæsar feciſſet in aruis,
Pompeius victor, cæsus Cæsarq; fuisset,
Cum vitâ imperium simul amisisset & orbis.
Difficiles primi ingressus, pleniq; periclì
Esse solent, vita est nobis velut alea lusus.
Principio damnis affectus, fine triumphans
Nummorum magnos ad se conuertit aceruos :
Rebus in aduersis magis emicat inclyta Virtus.
Nunc animis opus est : acerrima pharmaca magnis
Conueniunt morbis, fortes fortuna iuuabit,
Degeneres animos timor arguit : en sumus omnes
Catholici, bellum est sacratum, presbyter orat
Pro nobis summus, & diris deuouet hostes.
His confirmati verbis, se accingere ad arma

Accele-

Accelerant, varias ſparſo rumore perurbes,
Oppida, agros, miſeræ ſorti cædiq; ſubeſſe
Catholicos, ingens illis ſubitumq; periclum
Impendère, ſibi caueant, vim viq; repellant,
Si libertatem cupiant, ſi pignora chara,
Si vxores ſaluas, fortunas, deniq; vitam
Immunem inſidijs, ſi antiquam Religionem
Romuleam, & Petri ſi priſtina iura cathedræ
Reſtitui, ad ſe feſtinent, ſocia agmina iungant.
Mox Granta ad caſtrum Varuici, nocte ſilente
Mittitur, inde vt equos generoſos (quos ibi pacis
Tempore, bellorum memores, nutrire ſolebant
Vicini proceres) raptos ad caſtra latronum
Adducat, Dominoſq; armet ſceleratus in ipſos.
Nobilis interea Harington, cui filia natu
Maxima commiſſa eſt Regis Dia Eliſabetha,
Verſari ſubitò in magno diſcrimine cernens
Se, gemmamq; ſuam, quam vitâ tectiùs ipſâ
Seruârat, fidos ad ſeſe accerſit amicos
Confeſtim, & duplici portas cuſtode tuetur.
Haud procul vrbs antiqua ſita eſt Couentria (ciues
Morigeri hanc, legeſq; piæ, & pulcherrimus ordo
Fecêre illuſtrem) veteri circundata muro:
Huc ſatrapes ſeſe confert cum Virgine primo
Tempore, priuatis malè fidens ædibus, vſus
Conſilio egregio: tanto lætantur honore
Ciues effuſi, vnanimes, ſplendentibus armis,
Magnificam excipiunt Dominam, pars corpora cingũt

Lecto-

Lectorum iuuenum, sequitur pars altera longo
Agmine, præcedunt alij, turbamq; repellunt.
Vrbanus prætor reliquo comitante senatu,
Purpureis omnes induti vestibus, aureis
Torquibus ornati, blando sermone salutant
Heroinam mœstam, & tristes depellere curas
De tenero suadent animo; se namq; paratos
Conciuesq; suos, non hosti opponere tantùm
Mœnia, sed vires, fortunas, corpora, vitas;
Arma, viros q; sibi fortes, nummosq; paratos
Bellorum neruos, animos super omnia fidos.
Protinùs intra vrbis ducunt pomœria ad ædes
Magnificè instructas, & regali indole dignas.
Noctes atq; dies armatus ad ostia miles
Excubat, intrantes explorat sedulus vrbem:
Altera lecta cohors portas & mœnia firmat.
Interea attonita hûc illûc per rura vagatur,
Auxilium sed frustra implorans, turma latronum:
Nemo etenim ê populo tam nequam, nemo suorum
Catholicè est adeò inuentus sceleratus, vt arma
Sumeret, ad castra & se adiungeret impia, tantus
Horror erat sceleris, pacis reuerentia tanta.
Ergo peragratis Varuici finibus, omnis
Consilij, auxilijq; inopes (spectante popello
Infandosq; iugi voto execrante tragœdos)
Pomiferas intrant syluas, & amœna vireta,
Quæ sorti cessere tuæ (Vigornia.) *Tandem*
Hus mensis, Holbeach, ædes vbi Littleton *amplas*

Occupat,

Occupat, appellunt; hìc castra nefaria figunt
Sacrilegi errones, quos desperatio summa
(Haud secùs ac catulis aper insæuire peremptis
Assolet) in rabiem vertit; pars claudere portas
Aggere congesto, & validos opponere vectes,
Pars tormenta implent funesto puluere, quidam
Splendentes acuunt enses, atq́ arma corusca
Ostentant tersa primùm rubigine, vanus
Vesanusq́ labor prædones occupat omnes.
Iamq́ aderat præses Regalis Walstus, *& ædes*
Milite circundans, misso præcone rebelles
Admonet, vt cœptis cedant, armisq́ relictis
Ad sese tandem redeant, veniamq́ petentes
Agnoscant facinus, reges super omnia mites
Pauci armis, multi precibus vicêre; leones
Parcunt victores submissis hostibus vltrò:
Ipse orator ero vobis, Regemq́ rogabo,
Seductæ & stultæ vt mittat delicta iuuentæ.
Præsidis hæc præco præfatur nomine: at illi
Insani rabie furijs agitantibus intùs
Duritèr excipiunt hominem, Dominoq́ referre
Hæc responsa iubent: ipsos si cogere vellet
Vt sese dedant victi, maiora requirat
Auxilia, & vanis cesset contendere verbis:
Cordatos non verba viros sed verbera frangunt.
Præses vbi parui fieri se vidit, & omne
Consilium excludi sanum, se accingit ad arma.
Hæc dum tractantur, mirandus territat intùs

Prædo-

Prædones casus, Diuinæ nuntius iræ
Terribilis, certam ostendens instare ruinam.
Fortè per accensum Vulcanum sacculus atro
Puluere completus iacuit madefactus ab imbre,
Haud procul inde patet nudato puluere peluis;
Hunc parua è medijs surgens scintillula flammis
Corripit (horrendus subitò fragor intonat ædis
Tegmine perrupto) & tenues accensa per auras
Catsbeio faciem, Grantæq; exusit, & atro
Seu torres sceleris signauit stigmate; Rookwood
Haud immunis erat: perculsis omnibus, ingens
Peruasit terror sontes, intraq; recurrit
Sanguis: pallentes facies, & membra relinquens,
Ac recti horrentes stant summo vertice crines:
Mox animo occurrit facinus, iustissimus vltor
Et vindex scelerum Christus: patriamq; ruentem,
Vndiq; surgentes flammas, cœlumq; petentes,
Accensas propriis manibus, terramq; madentem
Sanguine fraterno reputant se cernere: flexis
In terram genibus facinus crimenq; fatentur,
Et iustam Nemesin, & sanctas numinis iras:
Exposcunt veniam lacrymis, & pectore tunso.
Hæc legite (excordes Athei) qui Numina cælo
Detrahitis, qui nulla Deo mortalia curæ
Creditis esse, nigri ridentes Tartara Ditis:
Si pudor vllus adhuc superest, si ferrea non sit
Frons vobis, duro si non circundata callo
Corda, hominis si fortè aliquid retinere, nec ipsos

Admirãdum diuinæ iustitiæ exemplum.

Qua-

Quadrupedes bruto certatis vincere sensu,
Hæc legite & cœlos reuereri discite, numen
Imperium retinere hominum cognoscite, cuius
Vos virtute estis, quo viuitis (impia turba,)
Quo sine, nec verbum fari, linguàmue mouere
Audacem, verbìsue ipsum factìsue negare
Fas vobis: virtute eius consistimus omnes.
Est Deus, estq́; Deo sanctorum cura, prophanos
Et videt, & ridet, tandemq́; vlciscitur, ipsos
Præcipites agit in foueam, quam insontibas antè
Aptârant, proprijs laqueis atq́; artibus ipsos
Implicat artifices scelerum: qui pulueris atri
Sulphureis flammis Capitolia vertere, & omnem
Angligenûm florem tentârunt carpere in herba;
Tartareis ipsi fumis atq́; ignibus vsti
Agnoscunt vigilem Nemesin: sic nobilis olim
Aerati inuentor tauri, conclusus eodem,
Ipse suas primus meritoq́; exercuit artes.
Verum ficta diù non durant, ad sua prorsus
Ingenia, & formas redeunt; sic fulgura quondam
Romano mentem turbârunt dira Tyranno,
Vt caput abstrusis inuisum absconderet antris.
Mox vbi desæuit tempestas, altera maior
Exoritur latebris, & totum concutit orbem:
Sic mox excessit pietas, probitasq́;, pudorq́;
Virtutesq́; nouæ, furor & vetus occupat omnes.
Armati portis patefactis proripiunt se,
Vtq́; canes rabidi medios agitantur in hostes,

Nunc

Nunc hos nunc illos nullo discrimine pulsant.
Vnica cura subest animam diuendere charo
Inuisam pretio: vanis contendere verbis
Desierat præses, sæuo & nunc Marte Rebelles
Cogit ad officium: magnis pugnatur vtrinque
Viribus: hos alacres merces & gloria reddunt,
Et causæ bonitas: hos desperatio fortes
Insanosq; facit: Cum Catsbeio *subit audax*
Coniunctis tergis vnum & commune periclum
Percæus, lateri Winter *se agglutinat vnâ,*
Et cuneo facto sese omni ex parte tuentur,
Afficiunt hostes damnis: sic sæpè feroces
Oppressos numero caudis coniungere caudas
Tauros commemorant, aciesq; fugare latrantum
Magnanimûmque canum: verum neq; maximus olim
Oetæus contra multos contendere longo
Tempore sustinuit: pugiles pessundedit ambos
Machina quem globulus vomuit vulcanea paruus,
Percea, Catsbeium transfixos corpora: at illi
Ingemuêre altùm, & duplicato poplite primùm
Inclinant, prono mox sternunt corpore terram:
Haud secùs ac rapido subuersa turbine quercus,
Quæ celsum nuper caput inter nubila summa
Condebant, aliquot visæ post sæcla iacentes
Conspiciuntur humi, & fronde altâ armenta saginant:
Sic Pugiles Papæ, qui sceptra & regna vorârant,
Spcq; animoq; altùm spirantes, culmina rerum
Scandebant auidè, turpi miseraq; ruina

Collapsi vermes pascunt, volucresq; feraſq; :
Ast miser obripitur viuus Winterus, & vnâ
Rookwood cum Granta, reliqui (miserabile vulgus)
Aut capti aut cæsi: nudato corpore multos
Frigora mulctârunt potius quàm vulnera letho.
Captiui (vt mos est) manibus post terga reuinctis
Imponuntur equis, magnamq; vehuntur ad vrbem:
Vndique concurrit populus per compita densus,
Monstra hominũ vt videat, visosq; vt abhorreat ausos
Hoc tam immane nefas; cuius cùm mentio sæclis
Venturis fiet, res facta videbitur illis
Nunquam facta, fidem superat sic protinus omnem.
Turba manus ægrè cohibet, discerpere viuos
Pars cupit, ast alij cruciatus quærere diros
Atque nouos satagunt: iustæ nemo imperat iræ.
Londinum aduecti, clauduntur carcere, & arctis
Seruantur vinclis: Paulò post quæstio habetur
Publica, vbi regni pro consuetudine, summi
Magnates, legumq; patres tenuêre tribunal:
Orator Regis, sceleris primordia ab ouo
Pandit, & eloquio miro depingit atrocis
Criminis artifices, quæ sit sententia legum
Exponit, meritas exposcit denique pœnas.
Captiui, fidei Romanæ dogma sequutos
Se, illius & Zelo raptos (quæ tollere quauis
Hæreticos ratione iubet, vi, fraude, doliſq;
Illicitis licitisq; modis) quippe omnia sancta,
Affirmant, mandat natis quæ Ecclesia mater.

Iudicio

Iudicio Proceres præfecti, ad Tartara damnant
Horrendum scelus, & Romanam relligionem,
Quæ tales profert fructus: sic dogma loquutum
Se meminisse Dei: (Gnati chari) ite, docete
Mundanos populos, & sacro fonte lauate:
Has ex aduerso voces sonat ore nefando
Filius exitij: Gnati, ite & perdite Gentes
Funditùs è terris, quæ nostrum fortè recusent
Ferre iugum, vi, fraude, minis, flamma, atque veneno.
Vipereum ergo genus, sobolem Plutonis, Auerno
Emissas Furias (patrio de more) per ignes
Per ferrum statuunt, funesq; remittere ad Orcum,
Vnde priùs fuerant emissa, aut perdita saltem
Consilia, & Falso Stygium mediante venenum
Hausissent: præda Dæmon lætatur opima,
Talibus & veterem verbis compellat amicum.
(False) vides nostros magnum eluisse Tonantem
Conatus, patefacta Erebi secreta recluſi:
Nec tamen omninò vacui repetemus Auernum,
Maiorem (fateor) messem sperauimus: ista
Sufficiat, magnis & consolabimur ausis
Nos nosmet, fors efficiet noua machina quondàm
Omnia, quæ cupimus: non sunt exhausta Barathri
Scrinia cuncta, dolis sunt dolia multa referta
Et varijs technis, quas posterа senserit Aetas.
Hæc ait, & Falsum liquit, reliquosq; sodales
Supplicijs meritis: (veteri pro more) Ministros
Sic semper sceleris postremâ deseret horâ.

Discite vos ergò tandem, & respiscite, magnæ
Quos Meretricis amor Circeo fascinat æstu:
Discite fallaces * Syrenes pellere vestris
Longè á nauigijs, maledictaq; signa Magogi
Linquite, qui sanctos cingat licèt vndique, nunquam
Expugnet, castris Christus quia militat istis,
Ordinibusq; suis depugnant astra, cohorsq;
Cœlicolûm excubias peragit noctesq;, diesq;.
Te, te fœlicem terris magis omnibus vnam,
Quas pater Oceanus vastis complectitur vlnis,
Te fortunatam nimiùm (bona si tua nôris,
Anglia) compello, vt memori pia facta parentis
Æterni æternùm serues sub pectore, laudes
Pro meritis soluis dignas, & vota quotannis.
O quoties quantisq; malis te virgula sola
Diuina eripuit, quantis te fluctibus actam
Pœnè & submersam saluam, tutamq; locauit
In portu, tumidis sepeliuit in æquoris vndis,
Quos vesana in te rabies armauerat hostes
Piscibus æquoreis prædam, ciuilia bella
Seminibus primis, ipsaq; oppressit in herbâ?
Funestam quoties pestem de finibus egit
Singula vastantem, nullo discrimine sexus,
Ætatis, census, virtutis, nobilitatis,
Visceribusq; tuis vetuit sæuire? famemq;
Squallentem amouit, mellis, lactisq; fluentis
Inductis, Canaan meritò vt dicaris, & alter
Mundus, & in terris Paradisus: nullibi maior

* Iesuitas Sacrificulos pontif.

Classem Hisp. A'. 88.

Copia

Copia cunctarum rerum, quas postulat vsus,
Exoptanda magis nusquam & genuina voluptas:
Adde his cœlestem Mannam, verbumq; Iehouæ
Aeternum, (immensus thesauro quo nihil orbis
Maius habet) gazâ Indorum pretiosius omni:
Si reliquos spectes populos caligine plusquam
Cimmeria mersos, sine Christo & Numine, muta
Idola vt lignum carioſum, vt vile metallum
(Quod pedibus natura docet calcare) colentes;
Solos Albiones lustratos lumine solis
Iustitiæ (vt quondam Goschenis *terra sepulta*
Aegypto in tenebris:) fluitantes Nectare riuos
Cœlesti ad summos fines regionis amatæ;
Propitium tibi præ cunctis fateare necesse est
Esse Deum regnis, nisi talpâ cæcior ipsâ,
Porcelliq; excors magè sis, qui ex arbore lapsas
Fauce vorant auidâ fruges, sed lumina sursum
Vndè cadunt, nunquam attollunt, nec deniq; curant.
Rumpe moras igitur, bonitatem agnosce benigni
Aeterniq; patris, largâ tibi munera dextrâ
Qui assiduè accumulat, qui dira pericula pellit,
Hostibus & prædam quasi faucibus eripit, ipsos
In foueam trudit, quâ te submergere totam
Mens erat, & nomen penitùs delere Britannûm:
Qui te pace beat, qualem prægressa parentum
Nulla ætas vidit, qualemve nec vlla nepotum
Est visura; Deus nobis hæc otia fecit.
Ille Deus rutilum, qui palma expandit Olympum,

Atque grauem medio ſuſpendit in æthere terram
Vi verbi æterni, qui multa & mira operatur
Quotidie in cœlis, terris, pelagoq́ profundo:
Ille tibi cuſtos fuit & Seruator, & illi,
Quod ſis, quod benè ſis, quòd flores, gloria ſoli
Debetur, cuius bonitas, clementia, virtus
Immenſa, & cunctis celebranda potentia sêclis.
Illius ergò pio celebremus pectore laudes
Perpetuò, & sêclis ingentia geſta futuris
Narremus, factis & vitâ deniq́ dignos
Numinis eximio nos oſtendamus amore.
Si ſecus, Ille idem iuſtiſſimus arbiter orbis
Non feret ingratos, certo peccata luemus
Certius, & tantum nunquam dimittet inultum
Tam fœdum facinus, vitij quod continet in ſe
Omne genus: qui multa ſerit, meſſem vbere gleba
Expectat meritò, ſentes, tribuloſq́ ferentem
Gnauiter excultum priùs, odit arator agellum.
Qui proprium populum, Gnatoſq́ fidelis ABRAMI
Proſapiam ſanctam (cui ſacra oracula & omnis
Cultus erat ſummi commiſſus Numinis olim)
Ingratam, immemorem, grauiter percuſſit abuſam
Muneribus tantis; ſæuæq́ nepotibus iræ
Exemplum poſuit venturis, hic tibi demens
Gentili parcet, ramo & ſylueſtris oliuæ?
Non faciet: qui dona tibi cumulauerat antè
Innumera, iratus turmas, acieſq́ malorum,
Quæ tua continuò populentur viſcera, mittet.

FINIS.

IN

IN IESVITAS SEDITIONVM, ET TVRBARVM PER VNIVERSAM EVROPAM FLABELLA, ET FACES EPIGRAMMA.

(***)

Parcæ olim dictæ, nulli quòd parcere ſorti,
Sexui, & ætati, aſt perdere cuncta ſolent.
Lucus & idcirco nomen ſortitur opacus,
Quòd ſit luce carens, vmbraq; tota locus.
Conſimili ratione nouus Papiſticus Ordo
Appropriat Ieſu nomina ſacra ſibi:
Non cælum à terris, magè non occaſus ab ortu,
Non magis Arctoo Iaua remota polo eſt,
Quàm genus amphibium (proles inuiſa profani
Militis, ingenium cuius vbiq; ſapit)
A Chriſto diſtat, ſancto quoque dogmate Ieſu,
Si rem ſpectemus, nomine ſepoſito.
De tribulis nemo ficus, de ſentibus vuas,
Aut durâ è quercu mitia poma legit.
Arboris oſtendit naturam fructus abundè,
Fert generoſa bonum, fertq; maligna malum.

Idcirco an propius Ieſuita accedat ad illos,
Qui Chriſti, aut Martis, quæritur, arma gerunt.
Militibus Chriſti, lacrymæ, patientia, vota
Et clypei, & gladij ſuſtinuere locum.
His armis ſæuos vicerunt ſæpe tyrannos,
Flexêrunt animos hoſtibus vſq; ſuis.
Sica breuis, gladiuſq; auratus, Pharmaca, fraudes,
Turpis blandities, perfidia, inſidiæ
Hos armant: iſtis ſancto Papæ artibus orbem
Submittunt, & non viribus ingenij.
Nulla fides, pietaſq; viris qui caſtra ſequuntur:
Arma inter rectum iuraq; ſancta ſilent.
Quàm benè conueniunt natis hæc (Loiala) veſtris,
Anglia teſtis erit, teſtis & orbis erit.
Mitto alias fraudes, in ſe complectitur omnes,
Et ſcelera exuperat nupera proditio.
Conſilijs initam veſtris hanc Anglia nouit,
Adiutam votis (Garnete ſancte) tuis.
Peccantes qui cùm poſsit, non peruetat, ille
Imperat, vt peccent, conſcius ipſe mali.
Barbaricum celare nefas, neque prodere tanti
Artifices ſceleris, *barbara nequitia eſt.*
Aſt verbis laudare Deum, precibuſq; rogare
Succeſſus fauſtos: (dicite Pierides)
Si quicquam in toto vidiſtis atrocius Orbe,
Si vlla ætas hominum talia monſtra tulit?
Horrida prætextu *pietatis crimina patrant,*
Virtutiſq; toga flagitium omne tegunt.

Dein

Dein Cælos, Numenq; ſacrum in conſortia culpæ
(Horreſco referens, obſtupeoq;) vocant.
Nec ſatis eſt cælum precibus temerare nefandis,
Maius adhuc tractant impietatis opus.
Impietatis opus maius, ſi creſcere quouis,
Hoc potis impietas, improbitaſq; modo eſt.
Sacrilegi Domini ſe ſumpta in fœdera cœna
Connectunt: alia haud vincula firma putant.
Quis manibus ſanctas ſceleratis tradidit eſcas?
Quis porcis gemmas talibus exhibuit?
Quis niſi ſanctorum patrum de gente ſacerdos?
Nomen ſi cupias, ecce, Gerardus, habes.
Nulla hic fit patribus omnino iniuria, quicquid
Rabula clamoſo perſtrepat ore leuis.
O cælum! O terras! O perdita tempora! mores
Degeneres! hominum ferrea corda nimis!
Scilicet in dubio eſt, ſcelus vtrùm immanius, vno
Regem, Reginam, Regnaq; bina die,
Illuſtres proceres, Clerum, ſummumq; Senatum
Tollere, ſulphureo & contumulare rogo;
An corpus Domini, ſacra & conuiuia Chriſti,
Tam deteſtandis polluere hoſpitibus;
Fœderis æterni & ſacro obſignare ſigillo
Horribile, infernum, Tartareumq; ſcelus.
Res geſtas veteres verbis auxère Poctæ:
Noſtra ætas vitij, flagitijq; ferax,
Protulit in lucem, ſcelerum portenta, ſtuporem
Quæ ingentem pariunt, verba, fidem ſuperant.

Adde

Adde his æquiuocum inuentum, *quo ludere sensus*
Gens hominum facta ex fraude, doliſq; queat.
Annulus hic Gygis *est, hoc se subducere captos*
Ingenij mira dexteritate solent.
Ore aliud resonant, aliud sed corde repôstum
Occultumq; tenent perfidiosa cohors.
Flexiloqui infernas imitantur Apollinis artes,
Scilicet antiquus Dæmon Apollo fuit.
Tullius officijs melioribus instruit ipsos
Paganos, similes damnat vbique dolos.
Qui si iterum in terris ageret, quæ fulmina in istos
Mitteret, eloquij flumine & obrueret?
Has artes colubro *veteri (mihi credæ) Magistro*
Hauserunt, Christi non didicêre schola.
Hinc patet, esse istos Ieſuitas Dæmonas albos,
Et præter nudum nomen habêre nihil:
Quod sanctum atque pium, quod rectum, relligiosum;
Aurea si Christi regula vera docet.
Militis ingenium profugi, seu Dæmonis, ista
Verius, aut sapiunt, aut ego nil sapio.
Dæmon erat semper mendax, homicida, quid isti?
Mendaces, vafri, ſanguineiq; viri.
Si mores ergò similes, si consona quicquàm
Facta probant, si par cum studio Ingenium.
Militiæ hæc pars magna tuæ est censenda (Magoge)
Et veteratoris pignora habenda patris.
Ite locustæ igitur, genus & deducite ab Orco,
Vos fumos Barathri *progenuisse patet.*

Si

Si ſanctum poſthac nomen retinetis Iẽſu,
Palliolum ſceleris (diſcat id orbis) erit.
Sed Iudaitarum *placeat ſi nomen, habête:*
In Ieſu conſtat, iuris habere nihil.

FINIS.

In Iesvitas.

Si sanctum posthac nomen retinetis Iesu,
Palliolum sceleris (discat id orbis) erit.
Sed Iudaicorum placeat si nomen, habete:
In Iesu constat, iuris habere nihil.

FINIS.

OB PRÆVORSAM NITROSI PVLVERIS CONIVRATIONEM MONVMENTVM GRATVLATORIVM

Magno BRITANNIARVM Regi,
& ſpei maximæ Principi
conſecratum:

AVCTORE SPIRITV SANCTO, PROPHETA DAVIDE,
INTERPRETE
A. M. S.

Ob ſphinturnicum nitroſi pulueris ignes
Cælitùs eluſos gratia, lauſq; Deo:
Qui Regi ingenium leni dedit acre, ſagaxq;,
Det memorẽ & mentem, det quoq; gratum animũ:
Nec Regi modo, ſed Reginæ, & Principi, & aulæ,
Sanctæ & caulæ ouium, & patribus, & populo.

DE PIORVM FELICITATE ET IMPIORVM MISERIA.

FElix qui ſcelerũ ducibus comes ire recuſat
Obliquum rationis iter: Veſtigia fœda
Nulla premit vulgi infrœnis: Non ille ca-
Sannæ in ſede ſedens atro ſale conſpuit aſtra. (chinno
At lex cordi illi & curæ diuina, voluptas
Vnica: quam recolit noctemq́ diemq́ fatigans,
Vnam animo: fert vnam oculis; vita exigit vnam.
Eſtq́ velut fœcunda arbos, quæ ſiàere fauſto
Conſita propter aquas, fructus lœto vbere dulces
Tempeſtiua refert: gelido nec marcet in algu
Nuda comã: at viridi ramorum & frondis in umbra
Florem in fructum vrget: cui numine cuncta ſecundo
Cedunt; nec quidquam aduerſo molitur Olympo.
Haud ita lena ſui mens rapta libidine dira.
At velut excuſſo grano malè pinguis ariſtæ
Gluma leuis volat huc illuc cita pulſibus auræ.
Quippe nefas genti ſceleroſæ inſiſtere callem
Legitimum: ſontiq́ animo durare bonorum
Virtutis veræ ſtudio in florente corona.
Nam rerum æternus genitor, cui pignora curæ,
Duxt auctorq́ viam inuiſit, curamq́ bonorum.
At ſcelus inuiſum cœlo, pronumq́ ruinæ
Præcipitat ſua fraus, & inextricabilis error.

De

De Antichristiana in Christi regnum subuentanea coniuratione.

HEu quianam tantus toto fremit orbe tumultus?
Et gentes populiq; minacia murmura miscent
Nequicquam? insurgunt reges vi, & fraudibus vnà
Stipati coeunt proceres, Martemq; lacessunt
In Iouam & Iouæ sacratum numine Regem?
Præcipitantq; moras, stimulosq; furentibus addunt?
Eia alceres ruptis vinclis & funibus horum,
Imperij seruile iugum ceruicibus istud
Excussum nostris quin nos defendimus armis?
At Rex cœlicolûm solio sublimis ab alto
Ridet subsannans orbis regumq; ruinas.
Tandem his terrebit dictis, & tristibus iris
Turbabit: Caput ipse mei diademate Regis
Cinxi vdum viridi succo liquentis oliui:
Sacra, mei super augusti iuga celsa Sionis,
Iura dare: & sanctam seruare & condere gentem.
Fabor ego, & voluens fatorum arcana mouebo,
Me quibus affatus genitor, qui sidera torquet:
Te nate æterno genitori æquæua propago,
Natum hominem, & fato denatũ à tristibus vmbris
Immortalem hodie reuocaui in luminis auras,
Tu patrem me posce: dabo tibi subdere gentes
Hæredi, quà cincta mari patet vndiq; tellus:
Cui sceptri nec finis erit, nec terminis æui.
Tu eastigabis virga, ferroq; feroces

Contundes:

Contundes: valido fragilis ceu testa sub ictu
Dissilit in partes, & fragmina spargit in auras.
Nunc Reges, Regumq́, sacri legumq́, Camilli,
Siue datis iura & populis & gentibus æqua,
Siue ab sede alta vasto ius dicitis orbi,
Discite iustitiam moniti, & non temnere Iouam:
Discite quam summi Regis lex illa suprema
Exigit à vobis legem moremq́, regendi.
Obsequium frænate metu, cultumq́, timore
Aeterni genitoris: & exultate pauentes.
Figite adoratis nati prona oscula plantis,
In vos ne ruat ira: vt flamma furentibus Euris
Cum ruit in segetem, & crepitantibus ardet aristis,
Sic viridi in culmo vos flammeus increpet ardor,
Fax vbi prima suæ fumârit vindicis iræ.
Felices quicunque eius spatiantur in vmbra.

Michtam; id est: Aureum monile Dauidis contra Missatici Idoli Cyclopicam anthropophagiam.

TE fretum me orci de faucibus eripe numen.
Ioue ais, ô noua mens: Dominũ te agnosco: meâ (re
Nullus eges: tibi quid prosit mortalis egestas?
In sanctis, qui in terra, animis cœlestibus illis
Stat mea cura omnis: Quos improba vexat Erinnys
Illorum, qui idola nouis altaribus augent.
Mene dapes Diuûm omnigenûm libare cruentas?

Quorum equidem haud digner ſummis noua nomina
Ioua mihi victus cultuſq; es lauta ſupellex, (labris.
Demenſum & menſæ primæ, menſæq; ſecundæ:
Ioua meam mihi ſuſtentas cum fœnore ſortem.
Ruris amœna mihi metata decempeda: quo nox
Lætius vber agri, glebæue opulentia maior.
Iouæ gratus agam grates cœleſtibus auctus
Muneribus, mentiſq; nouæ, monituſq; ſalubris.
Caſtigatus agor ſtimulis præcordia motu
Numinis arcano, tacita nocturnus in vmbra.
Iouam ego propono coràm mihi numen amicum
Semper: adeſt dexter mihi, pes ne impingat eundo,
Hinc mihi cor geſtit lætum: hinc mea gloria lingua
Exultat: recubans recreat fiducia corpus:
Non me es deſerturus enim ſub triſtibus vmbris
Me tibi dilectum, putres ne ſoluar in artus.
Ipſe viam pandis vitæ mihi, gaudia amœna
Ad ſatiatem, oris iubar almum & amabile lumen
E vultu, dextraq; tua ſine fine profundis.

De Eccleſiæ ærumnis & liberatione, hoſtiúmque exitio repentino.

Plurimis primo varijſq; ab æuo
Preſsit ærumnis me inimicus atrox,
Dia gens dicat: me inimicus atrox
Pluribus æui

Preſsit

Preſſit ærumnis variiſq; ab ortu:
Non & oppreſſit ſuperando victum
Me: meas aut res potuere fluxas
Vertere fundo.
Trux mihi tergum ſuper exarauit
Verberum ſulcos penitùs cruentos:
Et ſtrigas vibicum inebras acuto
Vomere duxit.
Funibus ruptis iuga demptа triſti
Depulit ceruice manus maligne
Iouæ: qui prauo metuendus orbi eſt
Arbiter æquus.
Quiſquis infeſtis oculis Sionem
Spectat, infelix ſua vota voluet
Irrita: & curſum releget retro ſpe
Captus inani.
Inſtar arebit, citò quæ coorta
Culmine in tecti ſeges, egra, marcens
Antequam falx ſtrictam aciem det atro
Aret ab æſtu.
Quæ manum meſſor ſitibundus vlla
Nullus impleuit vice: nec lacertum,
Qui legit nodo religans in vſum
Ferre maniplos.
Læta nec te præteriens viator
Fabitur: linguâ tibi nec fauebit:
Nec tibi dicet, faueat benigni
Numinis aura.

Lapsi retrò animi scelus impietatis alumnum
Affatur dicto, quod sensibus horreo ab imis:
Secum haud vllum illi sensum, aut superesse timorem
Numinis: adblandiri illum sibi denique secum
Patrato scelere inuiso atque immanibus ausis.
Oris verba sui fraude & fuco ornat inani:
Desijt aut rectum moliri, aut cernere verum.
Strata super de nocte nefas meditatur in vmbra
Peruigil; & pernix scelerum se in tramite sistit;
Pertenditq; malo gaudens odium acre bonorum.
Ioua polo tua par clementia, lucibus æthræ
Aequa fides: constans tua montibus æmula magnis
Iustitia: & tua iudicia immenso æqua profundo.
Ioua hominum pecudumq; genus vitasq; volantum
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore Pontus
Prouidus vltrò alis: & generatim sæcla propagas.
Quam rara ac pretiosa tuæ bona munera dextræ
Rerum opifex! quum gens alarum humana tuarum
Pollicitis illecta tuis fugit ales in vmbram:
Regificæq; domus epulis saturatur opimis:
Ambrosioq; bibit vitali è nectare succos,
Quos viuo fundis de flumine deliciarum:
Quarum te penes & fons est, & origo salutis.
Fac haurire tuo nos ergo è lumine lumen;
Luce frui de luce tua da lucis origo.
Porrige dona tuæ fidum bonitatis ad agmen,

Quod

Quod nomen ſine fraude tuum nouitq; colitq;.
Ne pede me calcet faſtus ſine more ſuperbus: (vexet
Neu pulſum me, extorrem, inopem manus improba
Illò, vbi procliui lapſu cecidere ſceleſti,
Impulſi, vt nequeant lapſas reparare ruinas.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Eli-

FINIS.

ELIZABETHÆ REGInę memoria ſuccincta. *F.H.*

NOmen Eliza tuum, famâ ſuper æthera notum,
AEternum, magis atq; magis poſt funera floret:
Vt mater Patriæ, vicinis gentibus hoſpes,
Hoſtibus infeſtis terror, pietatis aſylum,
Mitrati maſtix Papæ celebraris vbiq;:
Semper erit Britones inter celebertima Elizæ
Gloria, dum nomen Britonum, aut gens Angla vigebit.

AEnigma perplexum, quod Oedipus ipſe vix ſolueret.

NVper auis quædam coruum compellat vt atrum,
Ad teſtes, oculos prouocat ipſe ſuos.
Hi falſum clamant crimen: formoſior albo es
Cygno; brumali candidiórque niue.
Nil mirum (altera ait) faciem non cernit ocellus,
Deformes maculas non videt ipſe ſuas.
Cauſa Aquilam ad Regem tandem defertur: at ille
Confeſtim adduci ſpecula vera iubet.
Coruus, vt effigiem propriam viuàmq; tuetur,
Erubuit, lippos conqueritúrq; oculos.

AEnigma hoc ſoluas, & eris mihi magnus Apollo;
Oedipus alter eris, tibi Phyllida ſolus habeto.

Errata.

IN titul. dele hen. In Præf. pag. 1. lin. penul. ſanctæ. et vlt. tos & p. 3. l. vlt. omnibus regibus. p. 7 l. 12. comitatæ. p. 8. l. 4. nollent. p. 9. l. 5. homuncio. p. 15. l. 6. ſuciſvis & l 14 deſtinata.

In Græc. verſ. παύλη. *Item* Θεῦ ἔπλετο ϛελλὴ. *Item* ἅιμα. *Deinde pag.* 3. *l.* 4. *viduam, miſeram me. p.* 15. *l* 15. *tardus. p.* 21. *l.* 16. *cœpit. &* 17. *fauor. p.* 26. *l.* 9. *Ad. p.* 27. *l.* 15 *ſubitò p.* 30. *l.* 5. *ventoq; p.* 38. *l.* 10. *inſontibus. p*40 *l.* 2. *abrip. p.* 41. *l.* 13. *emiſſæ. p.* 54. *l.* 9. *alacres.*